PLANTARUM BRASILIENSIUM
NOVA GENERA
ET SPECIES NOVAE, VEL MINUS COGNITAE.

Collegit, et Descripsit

IOSEPHUS RADDIUS

EX XL. VIRIS SOCIETATIS ITALICAE SCIENTIARUM, ACADEMIARUM GEORGOPHILORUM, HELVETICAE, LINNEANAE, ET PHILOMATHICAE PARIS:, ALIARUMQUE SODALIS

PARS I. *(Filices)*

FLORENTIAE

EX TYPOGRAPHIA ALOISII PEZZATI

MDCCCXXV

LECTORI BENEVOLO

Inter rerum naturalium disciplinas, quae huc usque miros habuere progressus, Botanices profecto studium utilissimum, atque jucundissimum non modica sumpsit incrementa. Deerat ei tamen peculiaris descriptio Plantarum, quae in Brasiliensi regione nascuntur, omnium in orbe terrarum ditissima et amoenissima. Quam cum mihi invisere, in eaque aliquandiu, annis 1817, et 1818, commorari contigerit, jussu et auspiciis FERDINANDI *Tertii M. H. D., qui scientias omnes splendidissimo patrocinio complectebatur, nihil a me laboris et industriae praetermissum fuit, ut quamplurimas earum stirpium inspicerem, colligerem, collectasque describerem.*

Inde in patriam reversus facturum me operae pretium putavi, si ingentem maximique habendam plantarum copiam, quam mecum attuleram, et in Florentino Museo deposueram, in vulgus proferrem, titulo FLORAE BRASILIENSIS; *atque ita scientiae incremento pro virili parte consulerem. Sed erat hoc multae impensae opus, cui ego sufficere nullo modo poteram. Qua de re cum quod animo proposueram assequi nequirem, partem dumtaxat eorum, quae mecum attuleram, per Commentaria edidi in actis aliquarum Italiae Academiarum. Modo vero cum nonnulli humanissimi viri, atque omnium doctrinarum studio flagrantes (quorum nomina, eorum modestiae morem gerens, invitus omitto) negotium, et onus omne susceperint, ut ex plurimis plantis, quas in Brasilia collegeram et descripseram, novas saltem ac rariores emittere possem, utar profecto ipsorum liberalitate, gratoque et libenti animo statutum opus aggrediar. Et hoc quidem volumine exhibere incipiam Filicum Illustrationes, quas in mea* FILICUM BRASILIENSIUM SYNOPSI *jam indicavi; imaginesque cum novarum specierum, tum earum, quarum figura hactenus desiderabatur, lithographice expressas adjiciam.*

STIRPES GRYPTOGAMAE

SECTIO I.

RHIZOSPERMAE *De-Cand.*

Marsileaceae *R. Brown*; Hydropterides W.

SALVINIA *Mich.*

Marsileae spec. *Lin.*

Generis character essentialis R.

Flores masculi et foeminei distincti, in *sacculis* contenti membranosis pellucidis, qui totidem capsulas uniloculares et polyspermas imitantur.

1. *Sacculi in spicam coacti, et radicibus cincti.*

SALVINIA *biloba*: foliis oppositis complicato-bilobis, superne fasciculato-setosis, inferne pilosiusculis, lobis rotundatis, sacculis ovato-acutis racemosis pedunculisque setosis. *vid. tab.* 1. *fig.* 4.

Caulis ramoso-dichotomus, paleis concoloribus tectus. *Folia* opposita, breviter petiolata, approximata, plicato-biloba, supra spissis fasciculis setarum flavescentium tecta, subtus pilis raris conspersa: lobi rotundati. Sub lente vitrea spectata apparent eleganter reticulata, annulis aequalibus et exagonis. *Fructificatio* disposita in racemos solitarios, raro geminatos, radicibus cinctos, eodem modo quo in *Salvinia natante*: pedunculi et sacculi paleis contecti ut caulis.

Copiosissima est haec planta in fossis prope *Rio de Janeiro*, praesertim in *Mataporcos* et *Catumby*, ubi saepe superficiem aquae fere prorsus tegit.

SALVINIA *rotundifolia*: foliis oppositis subrotundo-cordatis, vel levissime emarginatis, superne fasciculato-setosis, inferne pilosis; sacculis ovatis racemosis pedunculisque setosis. *v. tab.* 1. *fig.* 5.

S. foliis subrotundis cordatis obtusis, supra fasciculato-setosis, fructibus ovatis racemosis pedunculisque setosis. *Willd. Sp. pl. V. pag.* 537. *num.* 3. *Syn. Fil. brasil num.* 148.

Caulis brevissimus ramosus, paleis concoloribus tectus, ut in praecedenti specie. *Folia* opposita, remotiuscula, integra vel leviter emarginata, ovato-subrotunda, basi

cordata, petiolata, supra fasciculato-setosa, subtus hirsuta.

Haec species minus frequens invenitur quam praecedens, et viror eius] foliorum obscurior est.

2. *Sacculi solitarii, nudi.*

SALVINIA *Azolla*: foliis quadrifariam imbricato-distichis, anterioribus ovato-lanceolatis marginatis inflexis, posterioribus subrotundis membranaceis subdecurrentibus. *Tab.* 1. *fig.* 3.

Azolla (*magellanica*) foliis imbricatis adpressis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 541 *n.* 1. *Syn. Fil. brasil. n.* 149.

Azolla filiculoides. *Lam. Enc. meth. I. p.* 340 *illustr. tab.* 863.

Azolla (*magellanica*) radicibus glabris; caulibus ramosis; foliis arcte undique imbricatis, subrotundis, margine membranaceis. *Humb. et Bompl. Nov. Gen. I. p.* 36.

Hypnum squamosum aquaticum elegantissimum. *Dill. Musc. p.* 335. *tab.* 43. *fig.* 72.

Muscus squamosus aquaticus elegantissimus. *Feuill. Peruv. ed: germ.* 2. *pag.* 59 *tab.* 35.

Caulis dichotomus, radicibus simplicibus eiusdem crassitiei ad ipsius dichotomias positis instructus. *Folia* duplicato-disticha, vel quadrifariam imbricata, infima aliquantum distantia; folia anteriora ovato-lanceolata, supra convexa; rugoso-vessiculosa, obscure viridia, margine albido cincta; posteriora membranacea, albida, rubropunctata, fere plana, rotundata, subdecurrentia et majora anterioribus, ad quorum contactum non veniunt ob aquam cuius in superficie haec planta natat. *Fructificatio* a me observata consistit in *sacculis* vel *perisporangiis* fere similibus illis ceterarum *Salviniarum*, qui in nostra planta sunt semper solitarii, nunquam vero congregati vel in spicas dispositi ut in ceteris, oblongi, sessiles, tenuissime membranacei, pellucidi, glaberrimi, unusquisque separatim ad basim foliorum anteriorum vel superficialium situs, praesertim ad originem radicum. Semina fulva cum planta viret.

Haec venusta et elegantissima plantula copiose invenitur in aquis stagnantibus prope *Rio-Janeiro*, et ut parva rosula in earum superficie natat instar nostrarum *Lenticularum palustrium*. Huius plantae descriptionem, licet imperfecte, nobis tradiderunt Cl: *Feuillée* et *Lamark;* ille eam observasse scribit in Peruvia sub gradu decimo-octavo latitudinis australis; hic ex Magellanica asportatam huc fuisse a *Commerson* asserit. Licet ipsa a Salviniis aliquantum differat forma et dispositione suarum frondium, tamen adeo ipsis assimilatur pro sua fructificatione, ut iisdem iungenda mihi videatur.

SECTIO II.

FILICES *Sw., Juss., De Cand., Lin.*

1. Annulatae, vel capsulis annulo articulato elastico cinctis. (Filices gyratae *Sw.*; Polypodiaceae *R. Brown*; Filices *Willd.*)

a. Exindusiatae, vel capsulis membranula, s. involucro carentibus.

* Capsulae sparsae.

ACROSTICHUM *Lin.*

Generis character essentialis Sw.

Sori amorphi, seu Capsulae per totam paginam inferiorem frondis, vel ad partem eius sparsae.

+ *Frondibus simplicibus indivisis.*

ACROSTICHUM *spathulinum*: frondibus oblongo-lanceolatis, utrinque attenuatis, stipiteque villosissimis, fertilibus obovatis integris stipite quadruplo brevioribus. *v. tab.* 15. *fig.* 2.

Frondes steriles 1-2 pollicares, 2-3 lineas latae, oblongo-lanceolatae, integerrimae, utrinque ut stipites paleis ferrugineis rigidiusculis denticulatis obsitae; stipites longitudine fere frondis vel paullo breviores. *Frondes* fructificantes semipollicares aut longiores, tres lineas circiter latae, ovatae, integrae, stipite 1-2 ½. poll. suffultae. *Radices* numerosae, fibrosae, hirtae.

Invenitur in udis rupibus torrentium super Montes Estrellenses.

Simillimum *Acrosticho spathulato* reperto a *D. Bory S. Vincent* in insula *Bourbon*, a quo differt suis frondibus fructiferis integris, nec ad apicem emarginatis

ACROSTICHUM *strictum*: frondibus lineari-lanceolatis utrinque squamosis, sterilibus basi apiceque attenuato-acuminatis, fertilibus obtusis, stipite brevissimo squamoso, squamis lanceolatis ciliatis. *tab.* 15 *fig.* 3.

Caudex semipollicaris aut subnullus, radicibus fibrosis hirsutis instructus. *Frondes* steriles lineari-lanceolatae, 8-10 pollicares, semipollicem fere latae, basi in stipitem decurrentes, apice acuminatae, obsolete transverse et parallele venosae, utrinque

squamis rufescentibus lanceolatis ciliatis obsitae: *stipes* pollicaris vel altior, ipsis squamis ut in fronde tectus; ille fertilium frondium prolixior. *Frons* fructificans semipedalis, quatuor lineas lata, basi attenuata, apice obtusa, squamis ciliatis ut in sterili obsita. Saepe superior pagina sterilium frondium senescens fit glabra. (*Acrostichum lepidotum? Syn. Fil. brasil n.* 32.)

Invenitur in rupibus prope *Mandiocca.*

ACROSTICHUM *scolopendrifolium:* frondibus sterilibus longissime lanceolatis acuminatis basi subcordatis, margine costa stipiteque paleaceis, fertilibus brevioribus glabris. *tab.* 16.

Acrostichum (*hybridum*) frondibus sterilibus ovato-oblongis marginibus nervurisque crinitis, omnibus longissime pedunculatis. *Bory itin.* 3. *p.* 95?-*Syn. Fil. brasil. n.* 33.

Radix fibrosa; fibrae densa lanugine obscura contectae. *Frondes* steriles longitudinis variae, a quinque ad duodeviginti pollices, pollicem et ½ circiter latae, obsolete parallele venosae, glabrae, margine integerrimo subrepando paleaceo. *Stipes* 2-9 pollicaris, canaliculatus, squamis vel paleis ferrugineis acuminatis subintegerrimis interdum quatuor lineas longis, ut costa media et margo frondis, obsitus. *Frondes* fructiferae breviores et strictiores, glabrae, per lentem scabriusculae: *stipes* squamis ferrugineis ut in frondibus sterilibus conspersus.

Invenitur haec species in rimis rupium, tum etiam in truncis Arborum. In radice plerumque conspicitur acervus subrotundus gemmiformis instar Avellanae, ex longissimis squamis scariosis eiusdem coloris et figurae ut illae stipitum constitutus.

ACROSTICUM *conforme*; frondibus sterilibus fertilibusque oblongo-lanceolatis utrinque acutis minutissime punctatis glabris, subtus plerumque squamulosis, squamulis distantibus lanceolatis ciliatis.

Acrostichum (*conforme*) frondibus oblongis utrinque acutis glabris, fertilibus longioribus. *Willd. Sp. V. p.* 107.

Acr. frondibus immarginatis integris ovato-lanceolatis, fertilibus conformibus, surculo radicante scarioso-squamoso. *Sw. Syn. Fil.* 10. *et* 192. *t.* 1. *fig.* 1.

Acr. (*oblongum*); surculo repente crasso dense vestito, squamis lanceolatis dentatis; stipite compresso angulato, punctato, squamoso, squamis sparsis, frondibus sterilibus oblongo-lanceolatis integerrimis subaveniis, infra decurrentibus subtus supraque glabris punctatis, punctis numerosissimis minutis. *Desvaux journ. de Botan. Juin* 1813. *p.* 271.-*Syn. Fil. brasil. n.* 30.

Surculus repens, radicans, squamis, scariosis lanceolatis dentato-ciliatis fuscis, *radiculis* hirsutis fuscis instructus. *Stipites* 2-6 pollicares, superius et ad latera canaliculati, squamis lanceolatis ciliatis vel dentato-ciliatis conspersi. *Frondes* steriles oblon-

go-lanceolatae, integerrimae, utrinque acutae, 10-14 pollices longae, 2 1/2 ad 3 pollices latae, obsolete et parallele venosae, glabrae, per lentem punctulatae, inferne minutis squamis ciliatis plerumque conspersae; fructiferae sterilibus similes sed minores, quarum pagina inferior prorsus et dense capsulis minutissimis obscuris contecta.

Acrostichum oblongum Desv. et *Acr. conforme* Swartzianum mihi videntur ad hanc nostram speciem pertinere; adeo enim minimae sunt eorum differentiae, ut in tres species distinguenda nullo modo videantur.

ACROSTICHUM *Lingua*; frondibus oblongis obtusis integerrimis utrinque glabris, fructificantibus angustioribus, stipite subtetragono canaliculato caudice repente. *t.* 15. *fig.* 4. *Syn. Fil. bras. n.* 31.

Caudex vel *surculus* repens subsquamosus, radiculis longis ramosis hirsutis instructus: squamis lanceolatis, ciliatis, reticulato-bullosis, fuscis. *Frondes* steriles 5. ad 5. pollices et 1/2 longae, sesquipollicem latae aut latiores, ovato-oblongae, integerrimae utrinque glabrae, apice obtusae, basi attenutae. *Stipites* subquadripollicares, glabri, subtetragoni, canaliculati, saepe intorti. *Frons* fertilis linguiformis, glabra, quadripollicaris, septem lineas circiter lata, inferne capsulis ferrugineis minutissimis dense tecta: *Stipes* fronde multum longior, qui plerumque ad altitudinem septem pollicum crescit.

Simillimum *Acrosticho Linguae* Thumb., seu *Polypodio Linguae* Sw., a quo tamen differt, quia habet frondes glabras etiam in inferiori parte, et ob dispositionem capsularum, cum hoc nostrum sit verum *Acrostichum*.

Hoc aeque ac praecedens inveniuntur super truncos arborum in umbrosis Sylvis *Mandioccae*.

+ + *Frondibus simplicibus pinnatisque.*

ACROSTICHUM *heterophyllum*; frondibus simplicibus pinnatisque glaberrimis, pinnis lanceolatis acuminatis integerrimis basi dilatatis, terminali elongata; stipite compresso canaliculato glabro. *tab.* 17.

Caudex repens subpaleaceus, radicibus longis numerosissimis hirtis instructus. *Frondes* 15-20 pollicares, pinnatae et simplices in eodem caudice, interdum profunde pinnatifidae, sed rare: pinnae lanceolatae, acutae, basi dilatatae, integerrimae, utrinque glabrae, transverse venosae, venae parallelae puncto subnigro terminatae; pinnae infimae usque ad medium stipitis decurrentes: stipes 3-4 pollicaris, canaliculatus, ad latera compressus, glaber. *Frondes* simplices pollicem circiter latae.

Invenitur secus torrentes in umbrosis Sylvis *Mandioccae*. In magna copia quam vidi, nullum exemplar fructificans invenire potui, et ex assertione D. Langsdorff hanc plantam cum Acrostichis associavi, quibus convenire ex eius externo habitu mihi videtur.

+ + + *frondibus pinnatis.*

ACROSTICHUM *aureum*; frondibus pinnatis, pinnis alternis oblongo-lanceolatis integerrimis, basi cuneatis aequalibus, omnibus acuminatis, superioribus fructificantibus. *Willd. Sp. pl. V. p.* 116. *n.* 41. *Syn. fil. brasil. n.* 35.

A. frondibus pinnatis, pinnis linguaeformibus glabris. *Sw. Syn. fil. p.* 13.

A. frondibus pinnatis, pinnis alternis linguaeformibus integerrimis glabris. *Lin. Sp. pl.* 1525. *Hort. cliff.* 477. *Amoen. Ac. I. p.* 273.-*Schkuhr crypt. p.* 2. *t.* 1. *et t.* 1. *b.*

A. maximum, glabrum. fronde pinnata; pinnis stipitatis, oblongis, integerrimis. *Mich. Fl. Amer. bor. II. p.* 272.

Lonchitis palustris maxima. *Sloan. H. jam. I. p.* 76.

Lingua cervina aurea. *Plum. Fil. p.* 87. *t.* 104.

Filix palustris aurea, foliis linguae cervinae. *Plum. Amer.* 5. *t.* 7.

Filix simpliciter pinnatis foliis, s. Phyllitis ramosa jamaicensis maxima, aversa parte ferruginea lanugine circumquaque obducta. *Pluk. Alm.* 154. *t.* 288. *f.* 2.

Caespitosus. *Frondes* tripedales glaberrimae, pinnatae; *pinnae* linguaeformes, alternae, coriaceae, superiores fructificantes, inferiores steriles, margine integrae vel levissime subrepandae. *stipites* canaliculati, basi paleis lanceolatis fuscis circumsepti.

Invenitur copiose in locis paludosis prope *Rio-inhumirim*, ubi longa soli intervalla omnino hac planta contecta spectantur

Acr. formosum Presl est mera varietas Acr. *aurei* Linnaei.

ACROSTICHUM *scandens*; frondibus pinnatis, pinnis lanceolato-acuminatis serrulatis subsessilibus glabris, pinnis fertilibus terminalibus linearibus integerrimis, rachi leviter alata, caudice angulato paleaceo longissimo scandente. *Syn. fil. brasil. n.* 34. *v. tab.* 18.

Acrostichum fraxinifolium *B. Presl Del. Prag. I. p.* 160, *n.* 4?

Caudex longissimus, angulatus, ramosus, Arbores scandens, cicatrisatus radiculis brevibus simplicibusque instructus. *Frondes* pinnatae, fere sesquipedales, alternae. *Pinnae* frondium sterilium alternae, bipollicares vel longiores, lanceolatae, acuminatae, venoso-reticulatae, glabrae, margine serrulatae, brevissime pedicellatae; frondium fructificantium breviores, sesquilineam fere latae, integerrimae, obtusae. *Stipes* paleis longiusculis fuscescentibus caducis obsitus.

Invenitur in Montibus *Estrellae*, ubi suis brevibus radiculis arborum truncis adhaerens ad notabilem altitudinem crescit. Varietas fortasse Lonchitidis scandentis Rumphianae.

+ + + + *Frondibus bipinnatis.*

ACROSTICHUM, *calomelanos*; frondibus bipinnatis, pinnulis oblongis, subtus albo-farinosis; inferioribus subpinnatifidis, basi sursum auritis, superioribus serratis, summis confluentibus. *Willd: sp: pl: V. p.* 123. *n.* 57. *Syn: Fil: bras: n:* 36. *W: H: berol: I. p:* 41: *t.* 41. *Linn: sp. pl.* 1529. *Hort: cliff.* 476. *Amoen: Acad. I. p.* 274.

A. frondibus bipinnatis, pinnis apice attenuatis, pinnulis lanceolatis inciso-serratis, inferioribus sursum basi auritis *Sw: Syn: Fil:* 15.

Filix non ramosa major, caule nigro, surculis raris, pinnulis angustis raris longis dentatis. *Sloan: H: jam: I. p:* 92: *t:* 30. *fig:* 2.

Filix albissimo pulvere conspersa. *Plum: fil: p:*30. *tab:* 40.

Adiantum nigro simile albissimo pulvere conspersum. *Plum: Amer:* 30. *t.* 44.

Adiantum Calomelanos americanum, s. Adiantum nigrum foliis prona parte candidissimis. *Pluk: Alm:* 11 *tab:* 124. *fig.* 3.

Planta bipedalis et ultra. *Stipes* atro-purpureus, canaliculatus, glaber, basi subpaleaceus. *Frondes* bipinnatae subtripinnatifidaeque; pinnae pinnulaeque alternae, pinnulis inferioribus profunde pinnatifidis, basi sursum auriculatis.

Invenitur frequenter in locis umbrosis et udis prope *Rio-janeiro,* praesertim secus rivulos. Est varietas minor huius plantae, quae ad pedis altitudinem nunqnam pervenit, cuius pinnulae sunt ovales, vel ovato-oblongae, et inciso-serratae.

* * Capsulae aggregatae.

OLFERSIA. *Rad. op. so. di Bol. v. III. an.* 1819. *p.* 283. *t. XI.*

Generis character essentialis

Sori lineares continui ad marginem utriusque paginae frondis.

OLFERSIA *corcovadensis;* frondibus pinnatis, pinnis alternis, sterilibus ovato-lanceolatis acuminatis integerrimis subsessilibus apice falcatis, fructificantibus linearibus brevissime pedunculatis; stipite rachique canaliculato, glabro. *Syn. Fil. brasil. num.* 28.

Filix tripedalis et ultra, glaberrima.

Radix fibrosissima, fusca. *Stipites* longissimi, subangulati, supra canaliculati, fuscescentes, nitidi, glabri, basi squamosi. *Frondes* impari-pinnatae. *Pinnae* frondium sterilium 3-5. pollicares, alternae, pollicem fere latae, ovato-lanceolatae, levissime marginatae, integerrimae, parallele striato-venosae, apice acuminato-falcatae, basi cuneatae, subsessiles vel brevissime pedunculatae, laete virides, nitidae, utrinque gla-

berrimae: *pinnae* frondium fructificantium subquadripollicares, alternae subsessiles, lineari-acuminatae, latitudine bilineares vel latiores. *Sori* nudi seu indusio destituti, qui omnino circumdant marginem utriusque paginae pinnarum. *Capsulae* brevissime pedicellatae, pallidae, nitidissimae, ferrugineo-annulatae.

Inveni tantum super *Corcovado*, monte ex altioribus prope *Rio-janeiro*.

Hoc genus jam fuit a me institutum in honorem Ill. et Cl. D. I. F. Olfers, qui, dum in Brasilia moraretur, pro scientiarum naturalium incrementum multum laboravit.

HEMIONITIS. *Lin.*

Generis character essentialis Sw.

Sori lineares, dichotomi reticulatique.

+ *Fronde simplici.*

HEMIONITIS *reticulata* β *brasiliensis*; frondibus oblongo-lanceolatis utrinque attenuatis, venis fructificantibus immersis glabris. *Hem: reticulata: Syn: Fil: brasil: n:* 37.

Radices confertae, ramosae, densa lana ferruginea tectae. *Frondes* 8-9. pollicares vel longiores, oblongo-lanceolatae, subfalcatae, glabrae, utrinque attenuatae, aliquantulum coriaceae, margine levissime sinuatae, per stipitem ad radices usque decurrentes. Venae fructiferae immersae, glabrae.

Differt ab *Hemionitide reticulata* forsteriana defectu tantum villi protegentis capsulas, quae in nostra sunt prorsus nudae.

Invenitur ad radices aeque ac in truncis arborum prope Montem nuncupatum o *Frade*.

+ + *Fronde pinnata*

HEMIONITIS *tomentosa*; fronde pinnata, pinnis lanceolato-subcordatis acutis, inferioribus cordato-trilobis pilosis, rachi stipiteque hirsutis. *Syn. Fil. brasil. n.* 38. *v. tab.* 19.

Asplenium (*tomentosum*), frondibus pinnatis villoso-tomentosis; pinnis ovatis acutis basi inciso-crenatis, lineis fructificantibus numerosissimis subcontiguis. *Lam. Enc. Meth. II. p.* 308 *n.* 26.

Gymnogramma (*tomentosa*), stipite tereti pubescente, longitudine frondis; frondibus pinnatis, pinnis suboppositis lanceolatis acutis cordatis utrinque pubescentibus, superioribus basi subhastatis, inferioribus biauriculatis trifoliatisve. *Desv. Journ. de botan. Janv.* 1813.

Ceterach (*lobatum*) frondibus pinnatis, pinnis petiolatis cordatis acutis trilobis repandis utrinque hirsutis, summis confluentibus, stipite pubescente. *B. Presl. in Del. Prag. V. I. p.* 162. *n.* 7.

Surculus repens breviusculus, radiculis numerosis tomentosis instructus. *Frondes* pinnatae: *pinnae* alternae, utrinque pubescentes et minutissimis paleis instar totidem pilorum longiorum raro aspersae; superiores lanceolatae, acutae, subcordatae; inferiores trilobae. *Stipes* minutissima lanugine albida contectus, et ad basim squamis lineari-lanceolatis flavescentibus in medio fuscis circumseptus.

Invenitnr in collibus prope *Rio-Janeiro.*

Haec filix in sua juventute fert saepe frondes, quarum pinnae inferiores sunt et ipsae pinnatae.

MENISCIUM. *Schreb. Gen. pl.* 1630.

Generis character essentialis Sw.

Sori lunulati subparalleli venis frondis interjecti.

MENISCIUM *palustre*, frondibus pinnatis, pinnis lanceolatis attenuato-acuminatis serratis alternis, subtus pubescentibus, basi cuneatis, caudice nullo. *Syn. fil. brasil. n.* 39. *vid. tab.* 20.

An Filix non ramosa, altissima, palustris, pinnis integris, alternis, serratis, acutis. *Burm. Zeyl. p.* 100. *tab.* 46?

Meniscium (*dentatum*) frondibus pinnatis, pinnis lanceolatis acuminatis, basi cuneatis, omnibus acute serratis, inferioribus oppositis. *B. Presl Delic. Prag. I. pag.* 162. *n.* 6.

Frons 4-6 pedalis, pinnata. *Stipes* subtriqueter, supra sulcatus, glaber. *Pinnae* alternae suboppositaeque, oblongo-lanceolatae, acuminatae, subsessiles, 6-9 pollices longae, sesquipollicem fere latae, supra glabrae, subtus pubescentes, subduplicato-et acute-serratae; senescentes lacerantur ad basim. *Rachis* supra angulato-sulcata, pubescens.

Invenitur in sylvis inundatis prope paroeciam *Nossa Senhora da Piedade Inhumirim* sitam ad fluenta fluminis huius nominis.

CETERACH. *Willd. Sp. pl. V. p.* 136:

Asplenii species *Lin.*

Gen. char. essent.

Sori lineares transversales.

CETERACH *aspidioides*; frondibus pinnatis, pinnis pinnatifido-serratis utrinque attenuatis, summis confluentibus integris falcatis *tab.* 21 *fig.* 1.

Cet. (*aspidioides*) frondibus pinnatis, pinnis lineari-lanceolatis subpetiolatis, summis confluentibus, subtus hirtis, pinnatifido-serratis, laciuia infima maiore. *Willd. Sp. pl. V.* 137. *n.* 3.-*Syn. Fil. brasil. n.* 40.

Filix non ramosa minima, surculis crebris, pinnulis brevissimis, angustis. *Sloan. H. jam. I. tab.* 52. *fig.* 2?

Caudex bipollicaris erectus, crassitie digiti minoris, radiculis rigidis numerosissimis fuscis instructus. *Frondes* impari-pinnatae, octo-pollicares vel longiores. *Pinnae* sesquipollicares, alternae, glabrae, interdum in inferiori pagina levissime pubescentes, lineari-lanceolatae, acutae, pinnatifido-serratae, basi cuneatae, brevissime pedicellatae; summae confluentes, integerrimae, falcatae; terminalis elongato-acuminata. *Sori* transversi, nudi, longitudinis variae. *Stipes* squamosus, supra pubescens, sulcato-angulatus; squamae lanceolatae, ferrugineae, integerrimae.

An species distincta?

Invenitur in Sylvis umbrosis montium *Estrellae.*

CETERACH *polypodioides*; frondibus pinnatis, pinnis pinnatifidis utrinque attenuatis, laciniis subfalcatis ciliatis, stipite inferne glabro superne hirto: *v. t.* 22. *Syn. Fil. brastl. n.* 41.

Radix repens, flexuosa, glabra, fibrillis fuscis instructa. *Frondes* impari-pinnatae 1 ½ - 2 pedales. *Pinnae* suboppositae alternaeque, subquinquepollicares, longe lanceolatae, vel lineari-lanceolatae, acuminatae, pinnatifidae, glabrae, brevissime pedicellatae, summae confluentes; laciniae obtusae, falcatae, margine ciliatae. *Sori* ut in specie praecedenti. *Stipites* quadrangulares, pubescentes, glabri et subfusci ad basim. *Raches* pubescentes.

Copiose crescit in Monte *Corcovado.*

GRAMMITIS. *Sw. Syn. Fil. p. 3.*

Gen. char. ess.

Sori lineares, recti, sparsi.

+ *Frondibus integerrimis.*

GRAMMITIS *punctata*: frondibus linearibus integerrimis obtusis, margine supra nigro-punctatis; soris costae parallelis approximatis. *tab.* 22. *bis fig.* 1.

Radices caespitosae, tenuissimae, glabrae. *Frondes* sesquipollicares vel longiores, lineares, integerrimae, obtusae, glabrae, subcoriaceae, aveniae, lineam fere latae, supra marginem nigro-punctatae. *Sori* costae mediae paralleli approximati, sub apice frondis positi. *Stipes* nullus.

Invenitur in truncis arborum musco obductis.

GRAMMITIS *elongata*; frondibus lanceolatis integerrimis acutis basi attenuatis, fertilibus lineari-lanceolatis, soris costae parallelis. *Willd. Sp. V. p.* 140. *n.* 6.-*Syn. fil. brasil. n.* 42.

Gr. (*lanceolata*) frondibus lanceolatis acuminatis basi attenuatis, lineolis fructif. costae subparallelis. *Schkuhr crypt.* 9. *tab.* 7. - *Sprengel Anleit.* 3. *pag.* 83. *tab.* 3. *f.* 21.

Gr. (*elongata*) frondibus lineari-lanceolatis, soris costae parallelis, *Sw. Syn. Fil. pag.* 213. *et* 22.

Radix vel *Surculus* repens, fibrosus, tomentosus. *Frondes* 4-5 pollicares, oblongo-lanceolatae, basi apiceque attenuatae, margine integerrimae, subrepandae, utrinque glabrae vel squamulis stellatis sparsis obsitae. *Stipites* brevissimi vel subnulli, glabri. *Sori* lineares alterni, costae mediae apicis frondis paralleli.

Invenitur super arborum truncos muscosos prope *Rio-inhumirim.*

+ + *frondibus pinnatifidis.*

GRAMMITIS *serrulata*; frondibus linearibus dentatis, fructificante apice integerrima, caudice filiformi adscendente simplici. *Willd. Sp. pl. V. pag.* 141. *n.* 9.-*Syn. Fil. brasil. n.* 43-*v. tab.* 22. *bis fig.* 2.

Gr. (*serrulata*) frondibus linearibus dentatis e surculo radicante. *Swartz Syn. Fil.* 22.-*Schk. crypt.* 9. *t.* 7.

Acrostichum (*serrulatum*) frondibus linearibus dentatis apice fructificantibus, surculo brevissimo radicante. *Sw. Prodr. p.* 128.

Asplenium (*serrulatum*) frondibus e surculo radicante simplicibus linearibus dentatis *Sw. Fl. ind. occ. 3. p.* 1607.

Caudex vel *surculus* 1/2-1 pollicaris, filiformis, erectiusculus, angulatus, nigricans, basi radiculis tenuissimis ramosiusculis hirtis, apice squamulis lanceolatis imbricatis ferrugineis integerrimis obsitus. *Frondes* 1 1/2-2 pollicares, numerosae, sparsae, subsessiles vel brevissime pedicellatae, glabrae, lineam fere latae, profunde serratae vel pinnatifidae, dentibus vel laciniis obtusis, quarum medius nervus prominens in utroque latere; fructiferarum apex serrulatus, saepe crenatus, raro fere integer, et inferne fructificatione prorsus occupatus. Nullum indusii vestigium animadvertere potui.

GRAMMITIS *myosuroides*; frondibus linearibus pinnatifido-dentatis, laciniis superioribus fructificantibus, inferioribus pinnatifidis, stipite in caudam fructificantem elongato. *Willd. Sp. V. pag.* 142. *num.* 11.-*Syn. Fil. brasil. num.* 44.-*v. tab.* 22. *bis fig.* 3.

Gr. frondibus pinnatifidis, lacinulis semiovatis obtusis, superioribus in apicem linearem fructiferum coadunatis. *Sw. Syn. Fil.* 22.-*Schk. crypt.* 9. *t.* 7.

Polypodium (*myosuroides*) frondibus pinnatifidis linearibus glabris, lobis superioribus in apicem lanceolatum fructiferum coadunatis. *Sw. Fl. ind. occ.* 3. *p.* 1644. *Prodr.* 131.

Caudex brevissimus vel subnullus, radicibus tenuissimis ramosis hirtis instructus. *Frondes* 1-1 1/2 pollices longae, lineam et dimidiam fere latae, lineares, pinnatifidae, basi tenuatae; lobi alterni, subfalcati, enerves, obtusissimi, paucis et raris pilis ferrugineis et rugulosis in utroque latere sparsis. *Sori* brevissimi, obliqui, alterne prope rachim positi per totam fere longitudinem frondis.

Haec et praecedens species inveniuntur in udis rupibus torrentium super Montes *Estrellae*, et ambae Muscis assimilantur.

POLYPODIUM *Lin.*

Gen. char. essent. Sw.

Sori subrotundi sparsi.

+. *Frondibus simplicibus indivisis, fructificantibus a sterilibus diversis.*

POLIPODIUM *aurisetum*, frondibus hirtis, sterilibus lanceolatis vel ovato-lanceolatis, fertilibus linearibus lanceolatisque obtusis, soris solitariis, caudice filiformi setoso-paleaceo radicante. *tab.* 23. *fig.* 1.

Polyp. pilofelloides. *Syn. Fil. brasil. n.* 46.

Caudex vel surculus filiformis ramosissimus radicans, qui super arborum truncis late extenditur, squamis aureis acuminatissimis omnino contectus. *Frondes* distinctae, utrinque stellulis caudatis adpressis, quae e marginibus prominentes, easdem frondes ut ciliatas apparere faciunt: *steriles* a quinque ad decem lineas, raro longiores, lanceolatae seu ovato-lanceolatae, integerrimae, obtusiusculae, enerves, laete virides vel viridi-lutescentes; *stipites* 2-4 lineas longi, et iisdem squamis ut caudex contecti: *frondes fructiferae* 1-1 1/2 pollicem longae, 2 lineas fere latae, modo lineares, obtusissimae, et ad basim attenuatae, modo lineari-lanceolatae, utrinque attenuatae, integerrimae, aliquando videntur dentatae, ob soros prominentes marginales; *stipites* 4-8 lineas longi. *Sori* solitarii magni, qui fere totam frondium inferiorem paginam occupant. *Capsulae* ferrugineae.

Invenitur super truncis arborum in Sylvis montium *Estrellae*, ubi saepe latissime patet.

Haec species multum adfinis est *Polypodiis ciliato et piloselloidi W.*; praesertim priori, cuius fortasse non est nisi varietas.

POLYPODIUM *vacciniifolium*; frondibus sterilibus subrotundo-ovatis obtusis integerrimis, fertilibus linearibus basi angustatis obtusis, soris solitariis, caudice filiformi setoso-paleaceo. *Willd. Sp. V. p.* 145. *n.* 3. *vide tab.* 23. *fig.* 2. *Syn. Fil. brasil. n.* 47-*Langsdorsf icon.* 7.

Caudex repens longissime ramosus, crassitie pennae anserinae, squamis imbricatis lanceolatis subciliatis adpressis apice filamentosis undique tectus, et radiculis brevissimis fusco-tomentosis hinc inde instructus. *Frondes* distinctae, integerrimae, subcoriaceae, aveniae, glabrae, per lentem ruguloso-punctatae, brevissime stipitatae: *steriles* ovatae, ovato-lanceolatae, vel oblongo-lanceolatae, obtusae; *fructiferae* lineares, obtusiusculae, 1-2 1/2 poll. longae, basi apiceque attenuatae. Magnitudo frondium sterilium variat a quinque lineis ad pollicem 1 1/2; latitudo a tribus lineis ad 1/2 pollicem. Discrepat quoque iisdem frondibus ad basim attenuatis.

Frequentior inter omnes species filicum quae crescunt in viciniis *Rio-Janeiro*. Invenitur in truncis arborum, quae saepe ab ea fere prorsus conteguntur.

+ + *Frondibus simplicibus indivisis uniformibus.*

POLYPODIUM *lycopodioides*; frondibus lanceolatis integerrimis glabris, soris solitariis, caudice filiformi setoso-paleaceo repente. *Willd. Sp. V. p.* 151. *n.* 12.-*Syn. Fil. brasil. n.* 48.

P. frondibus lanceolatis integerrimis glabris, fructificationibus solitariis, surculo squamoso repente. *Lin. Sp. pl.* 1542. *Hort. cliff. p.* 474.

P. frondibus lanceolatis integris glabris, soris solitariis; surculo squamoso radicante. *Sw. Syn. Fil. p.* 25.-*Schk. crypt. p.* 187. *t.* 8. *c. p.*

Phyllitis minor scandens foliis angustis. *Sloan. H. Jam. I. p.* 73.

Phyllitis scandens caulibus squamosis. *Plum. Am. p.* 29. *tab.* 42.

Lingua cervina scandens, caulibus squamosis. *Plum. Fil p.* 104. *t.* 119.

Filix sarmentosa bifrons s. Dryopteris scandens jamaicensis inter filicem et lycopodium media. *Pluken. Alm. p.* 156. *t.* 290. *fig.* 3.

Caudex repens, longissime ramosus, penna anserina crassior, squamis lanceolatis deciduis dense tectus, cuius basis ipsi caudici adhaerescit. *Frondes* alternae, 5-6 pollicares, lanceolatae, acuminatae, integerrimae vel levissime repandae, glabrae; venae obscurae, ramosae, utrinque prominentes. *Sori* inter costam et marginem frondis solitarii, subrotundi, in substantia frondis immersi, hinc pagina superior parum foveolata: *Capsulae* minutissimae. Frondes inferiores plerumque steriles, nec repandae.

Invenitur in truncis arborum, nec non in veteribus muris.

POLYPODIUM *percussum*; frondibus lanceolatis integerrimis longissime cuspidato-acuminatis, supra foveis a soris adversae paginae ortis instructus, subtus squamulosis, soris solitariis, caudice filiformi squamoso repente. *Willd. Sp. V. p.* 151. *n.* 15.-*Syn. Fil. brasil. n.* 49. *vid. t.* 24. *fig.* 1.

P. frondibus lanceolatis integerrimis acumine producto, glabris, subtus squamulosis, soris solitariis, surculo squamoso repente. *Sw. Syn. Fil.* 26.

Caudex crassitie fili emporetici, ramosus, repens, radicans, paleis vel squamis lanceolatis denticulatis ferrugineis deciduis tectus. *Frondes* alternae, stipitatae, erectae, 5-8 pollicares, lanceolatae, acuminatae, coriaceae, enerves, utrinque punctulatae, glabrae, basi attenuatae, margine integerrimo convexo, subtus squamulis stellatis minutissimis hinc inde adspersae, supra foveolis a soris adversa superficie positis instructae.

Invenitur in veteribus muris cum praecedenti.

POLYPODIUM *angustifolium*; frondibus lineari-lanceolatis longissimis rigidis margine convexis, soris solitariis. *Sw. Syn. Fil. p.* 27. *Willd. Sp. V. p.* 153. *n.* 20.-*Syn. Fil. brasil. n.* 50. *vid. t.* 24. *fig.* 2.

P. frondibus lineari-lanceolatis acuminatis longissimis rigidis, margine convexo, fructificationibus solitariis alternis, surculo repente. *Sw. Fl. ind. occ. III. p.* 1627. *Prodr.* 130.

Caudex simplex, brevissimus, repens, crassitie fere pennae anserinae, paleis lanceolatis angustissimis ferrugineo-reticulatis tectus; *radiculis* ramosissimis ferrugineo-tomentosis, et quasi aetate glabris. *Frondes* lineares, angustissime acuminatae, pedales

aut longiores, 2-4 lineas latae, glabrae, oculo armato ruguloso-punctatae basi in stipitem brevissimum attenuatae, margine integerrimo, quandoque levissime subrepando convexo. *Sori* minutissimi, solitarii, alterni.

Invenitur in monte dicto *Corcovado* ad arborum radices, nec non in rimis rupium.

POLYPODIUM *repens*; frondibus lanceolatis immarginatis acuminatis basi attenuatis subrepandis, glabris, soris biserialibus, caudice glabro repente nodoso. *Willd. Sp. pl. V. p.* 156. *n.* 30. *Syn. Fil. brasil. u.* 53.

P. frondibus lanceolatis acuminatis glabris, fructificationibus sparsis, surculo repente. *Gmel. Syst. Nat.* 1305. *n.* 9.

P. frondibus e surculo repente lanceolatis acuminatis integris sublucidis venis flexuosis, soris sparsis. *Sw. Syn. Fil. p.* 29.

P. frondibus lanceolatis acuminatis glabris integris, fructificationibus sparsis, surculo repente. *Sw. Fl. iud. occ. III. p.* 1635. *Prodr.* 130.

P. fronde lanceolata integerrima longissima. *Aubl. gujan. II. p.* 962.

Lingua cervina radice repente viridi punctulisque nigris notata. *Plum. Fil. pag.* 117. *t.* 134?

Caudex brevis, subramosus, repens, squamis ferrugineis tectus. *Radices* filiformes ramosae, ferrugineo-hirsutae. *Frondes* sesquipedales vel breviores, plus minus pollicem latae, lanceolatae, subcoriaceae, superne lucidae, inferne per lentem pallide punctulatae, apice acuminato-subfalcatae, basi in stipitem attenuato-decurrentes, margine subundulato-repandae, nervosae; nervis parallele et oblique transversis, subtortuosis, ramulis arcuatis anastomosantibus. *Sori* parvi, biseriales. *Capsulae* pallidae, annulis ferrugineis.

Invenitur in Sylvis humidis prope torrentes, praesertim in monte nuncupato *Corcovado*.

POLYPODIUM *lapathifolium*: frondibus lanceolato-acuminatis, leviter sinuato-undulatis, mollibus, soris biserialibus parvis. *tab.* 24. *fig.* 3.

P. (*lapathifolium*), frondibus lanceolato-acuminatis subsinuatis mollibus, soris multiserialibus minimis. *Sw. Syn. Fil. p.* 28.-*Willd. Sp. pl. V. p.* 160. *n.* 38.-*Syn. Fil. brasil. n.* 52.

P. frondibus mollibus, lanceolato-acuminatis, subsinuatis; fructificationibus sparsis, minimis. *Lam. Enc. Meth. V. p.* 514.

Caudex brevis, subnodulosus, squamosus, repens, radiculis longiusculis ferrugineo-tomentosis munitus. *Frondes* 6-10 pollicares vel longiores, 10. lineas latae, utrinque attenuatae, acuminatae, glabrae, margine levissime sinuato-undulatae, subtus oculo ar-

mato pallide punctulatae, tenerae, nervosae, nervis oblique et transverse perallelis, flexuosis, purpurascentibus. *Stipites* breves, obsolete tetragoni, canaliculati glabri. *Sori* et *Capsulae* ut in praecedenti specie.

Invenitur in udis rupibus prope torrentes super *Corcovado*.

POLYPODIUM *coriaceum*; frondibus lanceolatis immarginatis subsinuato-repandis, coriaceis glabris, soris serialibus. *tab.* 25.

P. frondibus lanceolato-oblongis immarginatis obtusiusculis coriaceis glabris subcrenato-repandis basi angustatis, venis flexuosis parallelis adscendentibus, soris serialibus. *Syn. Fil. brasil. n.* 54.

Caudex simplex, repens, obscure-viridis, nudus et instar brachii humani crassus. *Frondes* bipedales et longiores, pollices 3 1/3 latae, longe lanceolatae, obscure-virides, lucidae, glaberrimae, nervosae, margine sinuato-repandae, infra attenuatae et decurrentes fere usque ad basim; nervis adscendentibus seu oblique transversis approximatis, parallelis, flexuosis. *Sori* seriales, ratione frondis minuti. *Capsulae* minutae stramineae; annulis ferrugineis.

Invenitur in veteribus truncis arborum, nec non in rupibus umbrosis montium estrellensium, praesertim *Corco-secco*.

+ + + *Frondibus pinnatifidis.*

POLYPODIUM *pleopeltifolium*; frondibus profunde pinnatifidis, basi cuneatis, squamis umbilicatis irregularibus undique adspersis, laciniis lineari-lanceolatis margine subserrato-crenatis, repandisve, soris solitariis magnis, stipite glabro fusco, superne bivel-trisulcato, inferne rotundato, caudice repente hirsuto. *v. tab.* 21. *f.* 2. *Syn. Fil. brasil. n.* 55.

Caudex repens, penna anserina crassior, dense squamosus; squamis lanceolatis acutis, ferrugineis, medio fuscis, margine dentatis. *Radices* numerosae, ferrugineo-tomentosae. *Stipites* 2 4 pollicares, supra bisulcati, subtus rotundati fusci, laeves. *Frondes* 3-5 pollicares, profunde-pinnatifidae, basi cuneatae: laciniae 3-6, 2-3 pollicares, adscendentes, lineari-lanceolatae, tres vel quatuor lineas latae, obtusiusculae, basi dilatatae, apicem versus sinuatae vel sinuato-repandae, utrinque squamulis peltato-stellatis in medio fuscis aspersae. *Sori* magni, solitarii. *Capsulae* minutae, numerosissimae perraro squamulis peltatis immixtae; annulis ferrugineis.

Invenitur cum duobus sequentibus prope *Rio-Janeiro*

Huius filicis habitus est idem ac *Pleopeltidis angustae* Humboldt. Esset ne fortasse nostri *Polypodii* non aestimanda varietas, in qua squamae quae in utraque fron-

dis superficie sparsae conspiciuntur, cum sint densiores, et grandiusculae, facilius concurrissent inter capsulas soros componentes?

POLYPODIUM *hirsutissimum;* frondibus subpinnatis, squamulis numerosissimis stellato-caudatis undique tectis, pinnis lanceolato-linearibus obtusiusculis, soris solitariis, caudice repente paleaceo, radicibus hirsutis. *tab.* 26. *Syn. Fil. brasil. n.* 56.

P. (*rufulum*) frondibus lanceolatis pinnatis apice pinnatifidis, pinnis oppositis adnatis lineari-oblongis supra hirsutis, subtus convexis squamoso-paleaceis, superioribus fructiferis, squamis longissime cuspidatis, soris solitariis, stipite rachique paleaceis. *Presl. Delic. Prag.?*

Caudex simplex, repens, crassus instar anserinae plumae, aut crassior, a copiosissimis squamis lanceolatis ciliatis longissime-acuminatis ferrugineis omnino contectus, et radiculas numerosissimas pallide-vel ferrugineo-hirsutas emittens. *Frondes* subpinnatae, a pede usque ad sesquipedem circiter longae; *pinnae* alternae, lineari-lanceolatae, obtusiusculae, integerrimae, duas lineas latae, pollicem fere longae, basi utrinque dilatatae confluentes, squamis stellato-caudatis pallidis vel ferrugineis per lentem reticulatis dense contectae, quae in superiori pagina multo sunt rariores. *Stipites* 1-2. pollicares, subrotundi, fusci, et aeque ac raches prorsus contecti squamis lanceolatis ciliatis ferrugineis filo terminatis. *Sori* solitarii, magni, squamis quae eos cingunt interserti.

POLYPODIUM *incanum*; frondibus profunde pinnatifidis, laciniis alternis linearibus integerrimis obtusis, superioribus sensim minoribus, subtus stipiteque squamulosis, apice fructiferis, soris solitariis. *Willd. Sp. V. p.* 174. *n.* 73.-*Syn. Fil. bras. n.* 57.

P. frondibus subpinnatis, laciniis lanceolatis obtusis integris, subtus stipitibusque squamulosis. *Sw. Syn Fil. p.* 35.

P. frondibus pinnatifidis, pinnis lanceolatis obtusis integris patentibus basi coadunatis, subtus stipiteque incano-squamulosis. *Sw. Fl. ind. occ. III. pag.* 1645. *Prodr.* 131.

P. (*ceteraccinum*) fronde pinnata, pinnis oblongis integerrimis obtusis, subtus stipiteque squamulosis, punctis utrinque uniserialibus. *Mich. Flor. Amer. bor. II. pag.* 271.

P. velatum. *Schkuhr crypt. p.* 188. *t.* 11. *b. p.*

Polyp. minus virginianum, foliis brevibus subtus argenteis. *Moris. H.* 3. *p.* 563. *s.* 14. *tab.* 3. *f.* 5. *Pluken. Phyt. t.* 289. *fig.* 1.

P. minus, pinnulis raris subtus cinereis. *Sloan. H. jam. I. p.* 79.

P. (*albidum*) frondibus pinnatis apice pinnatifidis, pinnis oppositis adnatis subaequilongis linearibus obtusis, subtus convexis lepidoto-squamosis albidis, omnibus fructiferis, soris solitariis immersis, stipite rachique squamosis. *Presl delic. Prag.*

Acrostichum (*polypodioides*) frondibus pinnatifidis, pinnis linearibus obtusis integerrimis patentibus connatis, stipite squamoso. *Linn. Sp. pl.* 1525. *Amoen. Acad. I. pag.* 155.

Filix polypodium dicta minima jamaicensis, foliis aversa parte pulvere Asplenii ritu circumque respersis. *Pluken. Alm.* 153. *t.* 289. *fig.* 1.

Caudex simplex aut ramosus, longissimus, squamis lanceolato-acuminatis imbricatis adpressis nigrescentibus albo-marginatis apice denticulatis undique tectus, et radiculas ramosiusculas ferrugineo-tomentosas emittens. *Stipites* $^1/_{12}$-$^1/_2$ poll. vel longiores, supra canaliculati, subtus rotundati, squamis ovato-lanceolatis nigrescentibus argenteo-marginatis subdenticulatis obsiti. *Frondes* pinnatae, 1-2 pollices interdum ad duos et dimidium longae: *pinnae* oppositae vel suboppositae, lineari-lanceolatae, obtusae, integerrimae, enerves, quatuor lineas circiter longae, superne obscure-virides paucissimis et raris squamis stellatis passim conspersae, inferne omnino contectae squamis imbricatis similibus illis stipitum, quae efficiunt ut earum ora quasi ciliata videatur. *Sori* solitarii, subrotundi, ad marginem positi, et partim inter squamas celati. *Capsulae* pallidae; annulis ferrugineis.

POLYPODIUM *Plumula*; frondibus subpinnatis, pinnis alternis lanceolato-linearibus obtusis ciliatis, stipitibus rachibusque tenuissime pubescentibus, soris solitariis minutis. *tab.* 27. *fig.* 1.

Polyp. Paradiseae. *Syn. Fil. brasil. n.* 59.

P. (*Plumula*) frondibus profunde pinnatifidis, laciniis lanceolato-linearibus obtusis integerrimis omnibus alternis glabris, soris solitariis. *Willd. Sp. V. p.* 178?

P. frondibus profunde pinnatifidis; laciniis linearibus, obtusis, integerrimis, glabriusculis, utrinque decrescentibus; costa stipiteque squamuloso-hirtis; soris uniseriatis, paullo approximatis. *Humb. et Bompl. N. Gen. et Sp. I. p.* 6?

Caudex subnullus. *Radices* numerosae tenues ramosae hirsutae. *Stipites* bipollicares vel longiores rachibusque teretes fusci levissime pubescentes, basi squamis paleaceis longis ferrugineo-fuscescentibus numerosissimis circumsepti. *Frondes* 6-10. pollicares, subpinnatae, lanceolatae, utrinque attenuatae: *pinnae* alternae, lineares vel lineari-lanceolatae, ciliatae, obtusae, per lentem pilis tenuissimis raris adspersae, sex ad novem lineas longae, unam lineam latae, inferiores et superiores semper gradatim breviores, basi dilatato-coadunatae, terminali interdum producta: costa media per siccitatem flexuosa, utrinque pilis minutissimis albidis contecta, ut raches et stipites. *Sori* solitarii: *Capsulae* pallidae, annulis ferrugineis.

Invenitur cum sequenti in rupibus ad radices montis nuncupati *Corcovado*, qua prospicit mare.

POLYPODIUM *Schkuhri*; frondibus profunde pinnatifidis basi truncatis, laciniis linearibus obtusis approximatis horizontalibus parallelis levissime repandis utrinque paleis raris piliformibus sparsis, soris solitariis, rachi flexuosa stipiteque hirtis, caudice repente *tab.* 27. *fig.* 2. *Syn. Fil. brasil. n.* 60.

P. pectinatum. *Schk. crypt. p.* 189. *t.* 17. *b.* excl. syn.

Caudex repens, crassus, squamosus, impressionibus rotundis aliquantum profundis superne notatus, et densis radiculis filiformibus subnigris inferne munitus. *Frondes* 6-9 pollicares, pinnatae, basi truncatae: *pinnae* alternae, lineares vel lineari-lanceolatae, obtusae, integerrimae, ciliatae, utrinque levissime pubescentes, 8-10 lineas longae, lineam circiter latae, parallelae, horizontales, basi paullo dilatatae subcoadunatae. *Sori* solitarii: *capsulae* albidae; annulis ferrugineis. *Stipites*, *raches* et squamae, ut in praecedenti specie.

POLYPODIUM *pectinatum*; frondibus profunde pinnatifidis, laciniis lanceolatis acutis integerrimis parallelis glabris, superioribus et inferioribus sensim minoribus, soris solitariis. *Willd. Sp. V. p.* 180. *n.* 84.-*Syn. Fil. brasil. n.* 58.

P. frondibus pinnatis lanceolatis, lobis approximatis ensiformibus parallelis acutis horizontalibus, radice nuda. *Lin. Sp. pl.* 1545.

P. frondibus subpinnatis, laciniis approximatis, parallelis ensiformibus acutis horizontalibus: radice nuda. *Sw. Syn. Fil. p.* 34.

P. nigrum tenerius sectum. *Plum. Amer. p.* 26. *tab.* 37. *Fil.* 64. *t.* 83.

Caudex repens, simplex, tuberculosus, penna anserina crassior, paleis lanceolatis filamentosis fuscescentibus obtectus. *Radices* numerosissimae, ramosae, ferrugineo-hirsutae. *Frondes* 1-2 ½ pedales, pinnatae, longe lanceolatae, utrinque attenuatae: *pinnae* alternae, lineari-lanceolatae, obtusae, integerrimae, ciliatae, basi dilatatae subcoadunatae, intermediae 1 ½-2 pollicares, inferiores et superiores gradatim breviores: costa media fuscescens, pilis raris articulatis obsita. *Sori* solitarii, minuti: *capsulae* ferrugineae. *Stipites* aeque ac *raches* teretes, atropurpurei, pubescentes.

Haec et tres sequentes species inveniuntur in nemoribus aliquantum udis altorum montium estrellensium.

POLYPODIUM *laetum*; frondibus subpinnatis vel profunde pinnatifidis, laciniis lanceolatis integerrimis membranaceis infimis remotiusculis, soris subbiserialibus. *v. t.* 28. *Syn. Fil. brasil. n.* 63.

Filix jamaicensis jaceae majoris aemula, falcatis foliis integris margine aequali. *Pluken. Alm. fol.* 154. *pl.* 5. *Phyt. t.* 288. 1?

Caudex simplex, repens, crassus instar anserinae plumae, et squamis ovato-acuminatis imbricatis fuscis pallide marginatis obsitus. *Radices* numerosissimae, ramosae,

fusco-tomentosae. *Frons* sesqui-vel bipedalis, pinnata: *pinnae* oppositae et alternae, lanceolatae acutae, glaberrimae, laete virides, pro tenuitate subpellucidae, tenerae, margine levissime repandae, basi utraque subdecurrentes, supra foveolis a soris adversa pagina positis instructae; inferiores tripollicares et longiores, semipollicem latae; superiores sensim breviores, basi subcoadunatae. *Sori* duplici serie longitudinali ad latera costae mediae pinnarum utrinque digesti. *Stipite rachique* canaliculatis, laevibus.

Figura, quam exhibet Plukennetius a Willdenow relata ad suum *Polypodium attenuatum* cum nostra planta melius convenire videtur.

+ + + + *Frondibus pinnatis*

POLYPODIUM *attenuatum*; frondibus pinnatis, pinnis glaberrimis lanceolatis acutis integerrimis sessilibus adnatis subdecurrentibus, terminalibus subconfluentibus, soris solitariis. *Willd. Sp. V. p.* 191. *n.* 113.-*Humb. et Bompl. n. Gen. I. p.* 8.-*Syn. fil. brasil. n.* 61.

P. dissimile. *Schk. crypt. p.* 14. *t.* 14. excl. synon.

Caudex repens, simplex, crassus instar anserinae plumae, squamis ovatis imbricatis adpressis filamentosis albo-marginatis nigro-reticulatis tectus, et radices filiformes ramosiusculas hirsutissimas emittens. *Frondes* sesquipedales vel longiores, pinnatae, stipitibus rachibusque semiteretibus, superne canaliculatis, stramineis, laevibus: *pinnae* lineari-lanceolatae, acutae, integerrimae, glabrae, subtus glaucescentes, basi utraque subdecurrentes; inferiores suboppositae, 2. poll. 8 lineas longae et quatuor lineas circiter latae; superiores sensim minores, alternae, suprema elongata. *Sori* solitarii, numerosi, costae mediae approximati.

POLYPODIUM *attenuatum var.* β. frondibus minoribus, pinnis oppositis, rachibus stipitibusque teretiusculis. *an* species distincta?

Differt a praecedenti: frondes minores, raches utrinque prominentes vel rotundatae, nec canaliculatae.

POLYPODIUM *glaucum*; frondibus pinnatis, pinnis lineari-lanceolatis oppositis alternisque approximatis glabris, subtus glaucis, basi subcoadunatis infimis reclinatis; soris solitariis. *tab.* 29. *fig.* 1.

Caudex repens, crassus, viridis, squamis lanceolatis imbricatis apice filamentosis undique tectus. *Frondes* pinnatae, septempollicares: *pinnae* oppositae et alternae, lineari-lanceolatae, integerrimae, glabrae, sesquipollicares, superne obscure- virides, inferne glaucae, basi subcoadunatae, superiores sensim minores, infimae reclinatae. *Sori*

solitarii, costae mediae approximati. *Stipites* subquadrangulares, glabri. *Raches* prominentes, glabrae.

Invenitur in sylvis montium estrellensium super arborum truncos.

Facie *Polypodii vulgaris*. Valde affine praecedenti, sed fronde duplo minore, pinnis approximatis, infimis reclinatis, stipite subquadrangulari satis diversum.

POLYPODIUM *albo-punctatum*; frondibus pinnatis, pinnis suboppositis sessilibus lineari-lanceolatis integerrimis glabris, superne albo-punctatis, soris biserialibus. *v. tab.* 30.-*Syn. Fil. brasil. n.* 67.

Caudex repens, simplex, crassitie fere digiti minoris. *Frons* sesquipedalis, pinnata: *pinnae* oppositae, sessiles, lineari-lanceolatae, acutae, integrae, subrepandae, 4-5 pollices longae, semipollicem latae, sursum aliquantum incurvatae, utrinque reticulato-venosae, glabrae, subcoriaceae, supra albo-punctatae, basi utraque rotundatae. *Sori* sparsi, seu dispositi in duas vel tres series longitudinales, quae fere totam inferiorem pinnarum partem occupant. *Rachis* utrinque convexa vel subrotunda, secus latera canaliculata, laevis. *Stipes* compressiusculus vel subrotundus, glaber.

Invenitur in opacissimis sylvis montium *Estrellae*.

POLYPODIUM *hirsutulum*; frondibus pinnatis, pinnis oppositis sessilibus adnatis oblongo-lanceolatis albo-punctulatis utrinque pilosis, subrepandis, terminali elongata basi auriculata, soris sparsis, rachi stipiteque hirtis. *tab.* 29. *fig.* 2.

Caudex . . . . *Frondes* pinnatae, subpedales vel longiores: *pinnae* oppositae, sessiles, oblongo-lanceolatae, obtusae margine leviter repandae, supra albo-punctulatae, reticulato-venosae, utrinque pilis brevibus densiusculis obsitae; *pinna* terminali basi utraque auriculata. *Sori* sparsi. *Raches* utrinque prominentes, hirtae. *Stipites* angulati, hirti, basin versus glabri.

Invenitur cum duobus sequentibus super palmarum annosarum truncos in viciniis urbis *Rio-Janeiro*.

POLYPODIUM *distans*; frondibus pinnatis, pinnis alternis distantibus sessilibus lato-lanceolatis acuminatis subrepandis vel crenulatis, terminali petiolata basi auriculata, soris sparsis semi-immersis. *tab.* 31.

P. triseriale? *Syn. Fil. brasil. n.* 65.

Caudex repens, crassitie pennae anserinae, squamulis distantibus lanceolatis fusco-reticulatis conspersus. *Frons* 1 1/2-2 pedalis, pinnata: *pinnae* alternae, remotae, sessiles, quatuor pollices longae, pollicem circiter latae, superiores sensim minores, lato-lanceolatae, acuminatae, glabrae, obsolete reticulato-venosae, margine subrepandae vel irre-

gulariter crenulatae, praecipue ad apicem, basi exteriore rotundatae, interiore cuneatae, supra obscure-virides, et pustulis soris adversa superficie positis instructae, subtus pallidiores. *Sori* ferruginei, sparsi, in substantiam frondis semi-immersi, magnitudine seminis, sinapis. *Stipes* aeque ac *rachis* levissime canaliculatus, glaber.

POLYPODIUM *neriifolium* (β.) frondibus pinnatis, pinnis alternis suboppositisque sessilibus lanceolatis integerrimis levissime subrepandis utrinque attenuatis, soris sparsis, stipite rachique canaliculato-glabris. *tab.* 31. *bis.*

P. neriifolium. *Syn. Fil brasil. n.* 64.

P. longifolium. *Presl. Delic. Prag. I. p.* 167. *n.* 12?

Caudex repens, calamo scriptorio crassior, fusco-viridis, squamosus; squamis lato-lanceolatis, rubro-ferrugineis, albido-marginatis, margine lacero. *Frondes* 2-4 pedales, pinnatae: *pinnae* suboppositae et alternae, adscendentes, sessiles, longe lanceolatae, acutae, integerrimae, vel levissime repandae, subcoriaceae, venoso-reticulatae, glabrae, utrinque obscure-virides, 6-8 pollices longae, 9 lineas usque ad pollicem latae, apicem versus saepe aliquantulum curvatae vel subfalcatae. *Sori* ad latera costae utrinque seriebus duabus vel tribus longitudinalibus, ferrugineo-clari, subrotundi, convexi. *Stipites* aeque ac *raches* canaliculati, laeves. *Pinnae* frondium sterilium breviores et latiores.

P. *neriifolio* Schkuhrj simillimum, sed stipes rachisque canaliculati, nec rotundi.

POLYPODIUM *viviparum*; frondibus pinnatis, pinnis alternis, lanceolatis, acuminatis, crenato-subserratis, soris sparsis, rachi prolifera. *tab.* 32.

P. obliteratum? *Syn. Fil. brasil. n.* 66.

Caudex semipollicaris vel pollicaris erectus, radicibus filiformibus numerosis instructus. *Frondes* 2-3 pedales, longe stipitatae, pinnatae: *pinnae* alternae vel suboppositae, oblongo-lanceolatae, acuminatae, crenato-serratae aut denticulatae, decussato-venosae, utrinque glabrae, nitidae, basi cuneatae, brevissime petiolatae, inferiores quadripollicares, decem lineas vix latae et apicem versus decrescentes; terminali basi saepe pinnatifida. *Sori* sparsi, numerosi, ferruginei, subrotundi, magnitudine seminis sinapis. *Stipites* canaliculati, subquadrangulares, glabri. *Raches* angulatae, canaliculatae, supra in cavitate villosae, subtus glabrae, et extremitatem versus plerumque tuberculis gemmiformibus paleaceo-squamosis subrotundis axillaribus viviparis instructae.

Invenitur in sylvis opacis montium estrellensium, nec non in monte nuncupato *Corcovado*, non procul ab urbe *Rio de Janeiro*.

POLYPODIUM *decurrens*; frondibus pinnatis, pinnis alternis sessilibus lanceolato-elongatis acuminatis glabris integerrimis reticulato-venosis, venis flexuosis, basi inferiore decurrentibus, soris minutis numerosissimis. *tab.* 33.-*Syn. Fil. brasil n.* 68.

Caudex simplex, repens, squamosus, crassitie digiti minoris, vel crassior. *Frondes* tri-plerumque quadripedales, pinnatae: *pinnae* alternae, sessiles, longe lanceolatae, acuminatae, utrinque glabrae, reticulato-venosae, margine integrae subrepandae, quandoque levissime undulatae, 8-9 pollices longae, pollicem et dimidium latae, basi inferiore decurrentes: costae, venae et raches utrinque prominentes, glabrae. *Sori* subrotundi, numerosissimi, sparsi, magnitudine fere seminis sinapis, fusci. *Stipites* superne, levissime angulati, inferne rotundati, laeves.

Invenitur in sylvis opacis montium *Estrellae* prope torrentes, sed raro.

POLYPODIUM *pubescens*; frondibus pinnatis pubescentibus, pinnis lanceolatis sessilibus pinnatifidis, infimis declinatis, summis confluentibus, laciniis linearibus integerrimis obtusis subfalcatis, soris marginalibus, caudice erecto brevi radicante. *tab.* 34.

P. concinnum. *Syn. Fil. brasil n.* 69.

Caudex erectus, subtripollicaris, digito minori paullo gracilior, radicibus filiformibus numerosissimis instructus. *Frondes* pedales vel longiores, pinnatae: *pinnae* subopposita vel proxime alternae, sessiles, lanceolatae, profunde pinnatifidae, pube tenuissima albida utrinque tectae, aeque ac earum costa media, quae superius est paululum striata, inferius subconvexa; infimae remotiusculae, brevissimae, reclinatae; summae integrae, confluentes: laciniae lineares, obtusissimae, integerrimae, subfalcatae, tres lineas fere longae. *Sori* marginales: *capsulae* ferrugineae. *Stipites* angulati, tenuissima et densissima pube albicante omnino tecti, basin versus subpaleacei.

Invenitur frequenter cum *Ceterach aspidioides*, cui fere assimilatur magnitudine et forma caudicis, in sylvis montium *Estrellae*.

POLYPODIUM *rivulorum*; frondibus pinnatis, pinnis lanceolatis acuminatis pinnatifidis, infimis brevissimis, laciniis obtusis, margine subciliatis inflexis, soris submarginalibus approximatis *tab.* 35.-*Pluk. Phyt. t.* 283. *f.* 1.

P. oligocarpum? *Syn. Fil. brasil. n.* 70.

Radix fibrosa, fibrillis ramosissimis, numerosis. *Frondes* plures, tripedales vel longiores pinnatae: *pinnae* oppositae et alternae, approximatae, lanceolatae, acuminatae, pinnatifidae, duos pollices ad duos et dimidium longae, inferiores et superiores sensim breviores, infimae brevissimae, distantes; laciniis ovatis integerrimis, margine inflexis subciliatis, subtus venis pilosiusculis et glandulis minutissimis adspersae; laciniis infi-

mis parum longioribus. *Raches* et costae mediae pinnarum canaliculatae, utrinque pilis brevibus albicantibus contectae. *Sori* submarginales, approximati: *capsulae* ferrugineae.

Invenitur secus margines rivulorum prope *Rio de Janeiro*, ubi frequenter invenitur etiam *Aspidium Serra*.

Accedit ad *Aspidium conterminum Willd.*, a quo tamen reipsa differt figura laciniarum pinnarum suarum frondium, pilorum praesentia, magnitudine et proximitate sororum, et altitudine maiore stipitis. Infimae pinnae sunt minutissimae.

POLYPODIUM *vestitum*; frondibus pinnatis, pinnis alternis lanceolato-pinnatifidis laciniis oblongis obtusis, superioribus subfalcatis, inferioribus subtruncatis, ad vitrum punctato-pellucidis, soris solitariis, stipite rachibusque paleis longissime ciliatis dense vestitis. *tab.* 36.-*Syn. Fil. brasil. n.* 71.

Frondes subbipedales, pinnatae; stipitibus rachibusque angulato-sulcatis, squamis vel paleis lanceolato-acuminatis ciliatis pallidis dense vestitis. *Pinnae* alternae, oblongo-lanceolatae, pinnatifidae, brevissime petiolatae, 2 1/2-4 pollices longae, superne obscure virides, inferne pallidiores, extremae integrae confluentes, vel in pinnam productam acuminatam terminatae: laciniae lineari-falcatae, obtusissimae, integrae, levissime subrepandae, subtus oblique et parallele fusco-venosae, ipso nervo medio inferius tecto parvis squamis ciliatis similibus illarum costae pinnae: *costae* utrinque convexae, squamis lanceolatis ciliatis contectae. *Sori* subrotundi solitarii ad latera nervi medii s. costulas laciniarum utrinque approximati: *capsulae* albidae nitidissimae; annulis ferrugineis.

Invenitur in sylvis montis *Corcovado*.

POLYPODIUM *falciculatum*; frondibus pinnatis, pinnis alternis lanceolato-pinnatifidis acuminatis glabris, laciniis integerrimis falcatis supra foveis minutissimis a soris adversae paginae excavatis, soris serialibus, stipite quadrangulari glabro extremitatem versus leviter hirsuto. *tab.* 36. *bis. Syn. Fil. brasil. n.* 72.

Stipes pedalis, angulatus, glaber. *Frons* sesquipedalis, pinnata. *Rachi* obsolete sexangulata, sulcata, fusca, hirsutula praecipue in cavitate superiore. *Pinnae* 4-5 pollicares alternae, remotiusculae, oblongo-lanceolatae, acuminatae, pinnatifidae, brevissime petiolatae, glabrae, supra foveolis soris adversa superficie positis instructae, obscure-virides, subtus pallidiores; *pinnae* ultimae integrae, confluentes s. in pinnam elongatam acuminatam terminatae: costa media convexa ex utraque parte, et levissime pubescens: laciniae falciculatae vel lineari-falcatae, obtusae, integerrimae, oblique et parallele venosae; venis atropurpureis glaberrimis. *Sori* subrotundi, solitarii, medio inter nervum et marginem laciniarum positi: *capsulae* numerosae, ferrugineae, nitentes.

Invenitur in sylvis montium *Estrellae*, sed raro.

Simillimum praecedenti, a quo tamen differt defectu squamarum, soris non proximis nervo medio laciniarum pinnarum, et venarum glabritie.

POLYPODIUM *tijuccanum*; frondibus pinnatis, pinnis lanceolato-acuminatis membranaceis subpellucidis inciso-serratis glabris, terminalibus confluentibus, infimis reflexis, incisuris semiovatis, soris minutissimis numerosissimis sparsis, stipite paleaceo. *tab.* 37. *Syn. Fil. brasil. n.* 73.

Stipes plusquam pedalis, supra angulato-sulcatus, subtus rotundatus, stramineus, basin versus fuscus, squamis vel paleis lanceolato-acuminatis subciliatis fuscis obsitus. *Frons* sesquipedalis, pinnata. *Rachis* angulato-sulcata, et paleacea ut stipes. *Pinnae* suboppositae, longe lanceolatae, inciso-serratae, membranaceae, venosae, glabrae, apice acuminatae, subfalcatae, venis fuscescentibus costaque media glaberrimis: *pinnae* inferiores brevissime petiolatae, quinque pollices longae, semipollicem latae, ceterae gradatim minores; ex quibus intermediae sessiles, extremae serrulatae et confluentes; duae infimae declinatae. *Sori* minutissimi, numerosissimi, sparsi: *capsulae* fuscescentes.

Invenitur in saltibus umbrosis humidiusculis super monte, quem vocant *Gavia*, praesertim apud celebrem aquae descensum *Tijùca*.

POLYPODIUM *formosum*; frondibus pinnatis glabris, pinnis lanceolato-pinnatifidis acuminatis, superioribus sessilibus, inferioribus petiolatis infimis auriculatis, laciniis obtusis integerrimis subfalcatis, auriculis inciso-serratis, soris minutis numerosissimis sparsis. *tab.* 38.

P. auriculatum. *Syn. Fil. brasil. n.* 74.

Caudex . . . *Frondes* subquinquepedales, longe stipitatae, bipinnatifidae: *pinnae* subpedales, lanceolato-acuminatae, profunde pinnatifidae, suboppositae, utrinque glabrae, laete-virides, superiores sessiles, inferiores breviter petiolatae, infimae basi inferiore auriculatae; laciniae obtusae, falcatae, inferiores sesquipollicares obtuse serratae, superiores sensim minores, integerrimae; auriculae pollicares, inciso-serratae, incisionibus vel serraturis obtusissimis. *Sori* numerosissimi, sparsi, minuti, ochraceo-pallidi. *Stipites* supra angulato-sulcati, subtus rotundati, nitidi, fuscescentes, basi squamis lanceolatis longissime acuminatis serrulatis contecti. *Raches* et costae mediae canaliculatae, ochraceae, nitidae.

Invenitur in sylvis opacis, praesertim prope torrentes, super monte *Corcovado*.

POLYPODIUM *caudatum*; frondibus pinnatis subbipinnatifidisve, pinnis suboppositis sessilibus profunde-pinnatifidis glabris, apice in caudam brevem serratamque attenuatis, laciniis lineari-lanceolatis serrato-crenatis subfalcatis glabris, soris solitariis, stipite rachibusque paleaceis, superne sulcatis. *tab.* 39.-*Syn. Fil. brasil. n.* 75.

Caudex . . . *Frondes* quinque pedum longitudinis, adnumeratis etiam duobus dibus stipitis, subbipinnatae: *pinnae* subpinnatae vel profunde pinnatifidae, glabrae, apice attenuato-caudatae, inferiores decempollicares suboppositae, superiores oppositae sensim breviores, ultimae decurrentes; pinnulis vel laciniis lineari-lanceolatis, obtuse serratis, subfalcatis, obscure-viridibus, inferioribus pollicaribus, superioribus sensim minoribus, ultimis minutissimis confluentibus vel caudam brevem strictissimam constituentibus. *Sori* solitarii subrotundi, ferrugineo-fusci. *Costae* glabrae, stramineae, supra canaliculatae, subtus rotundatae, nitidae. *Rachis* et *stipes* fistulosi, fragiles, glabri, nitidi, fuscescentes, superne sulcati, inferne rotundati; subsquamosi.

Invenitur cum praecedenti.

+ + + + + *Frondibus bipinnatis.*

POLYPODIUM *corcovadense:* frondibus bipinnatis glabris, pinnulis alternis lanceolato-acuminatis breviter petiolatis, apice obtuse-serratis, soris serialibus confluentibus, stipite obtuse tetragono sulcato, caudice arboreo. *tab.* 40. *Syn. Fil. brasil. n.* 76.

Trichipteris excelsa. *Presl. Delic. Prag. I. p.* 172. *n.* 19. (pili quibus capsulae adhaerent in soris huius filicis, pro indusio haberi non possunt, neque ad novum genus instituendum hic unus character sufficit; multae enim species ad genera prorsus distincta pertinentes, ipsos pilos exhibent ut in hac eadem specie.)

Caudex quindecim pedum, sed qui ex Brasiliensium fide altitudinem hanc multo magis excedit: individua a me inspecta quindecim pedes non superabant. *Frondes* quinque vel sexpedales, subhorizontales, alternae, approximatae, bipinnatae, glaberrimae ex omni parte. *Stipites* obtuse tetragoni, sulcati, aculeati, aculeis saepe obliteratis. *Pinnae* alternae, mediocriter distantes, sesquipedales, pinnatae. *Pinnulae* petiolatae, alternae, lanceolatae, acuminatae, acumine elongato obtuse serrato vel potius crenato, margine levissime repando, frequenter cum sinibus vel scissuris fere usque ad mediam costam, laete-virides, venosae, basi rotundatae vel oblique subcordatae; venae parallelae, ad basim ramosae, pellucidae si per lentem vitream et contra lucem inspiciantur; petiola leviter marginata, et costa media pinnularum prominens in utroque latere: *pinnulae* inferiores 3-4 pollices longae, semipollicem circiter latae; superiores sensim minores. Superior earumdem facies munita est duobus ordinibus minimarum fossularum contra soros subjacentes, qui in virescente planta non apparent. *Sori* subrotundi, approximatissimi et una serie dispositi in unoquoque latere pinnulae inter ejus nervum vel costam mediam et marginem; adeo ut primo intuitu praeseferant sorum continuum, ut in *Taenitide blechnoide*: *capsulae* piriformes, sessiles et adhaerente singulae duobus pilis compressis, linearibus, articulatis et persistentibus, qui utrumque annuli latus cingunt: ipsae vero aperiuntur, et ex praedictis pilis aeque ac receptaculo avelluntur, et facillime cadunt. *Raches* supra angulato-trisulcatae, subtus rotundatae, nitidae.

Invenitur in vertice fere montis *Corcovado*, ubi tantum a me fuit inspecta haec pulcherrima et ingens Filix.

Pinnae adolescentis plantae, idest antequam caudicem efficere incipiat, sunt simplices, deinde basim versus pinnatifidae, in adulta planta omnino pinnatae.

+ + + + + + *Frondibus supradecompositis.*

POLYPODIUM *axillare;* frondibus supradecompositis bipinnatis, pinnulis pinnatifidis glabris, laciniis oblongo-subfalcatis obtuse serratis crenatisve, soris minutissimis axillaribus, stipite paleaceo muricato. *tab* 41. *Syn. Fil. brasil. n.* 77.

Caudex . . . . . *Frondes* septem pedum et amplius longitudinis, simul cum stipite, qui est circiter sesquipedalis, bipinnatae: *pinnae* alternae, remotiusculae, decem et quinque pollices longae: *pinnulae* 3-4 pollicares, alternae, lineari-lanceolatae, acuminatae, profunde pinnatifidae, glabrae, approximatae, superne obscure-virides, inferne pallidiores, terminales lineari-falcatae obtusae duplicato-serratae confluentes: laciniae oblongae, obtusissimae, subfalcatae, margine subduplicato-serratae, serraturis obtusis, subtus venis bifidis simplicibusque glaberrimis atropurpureis; laciniae inferiores quinque lineas circiter longae, superiores sensim minores, ultimae in acumine elongato terminatae. *Sori* minutissimi, solitarii, in axillis seu venarum divisionibus bifurcis siti. *Stipites* sulcati, inferne muricati, glabri, basi squamis vel paleis caducis obsiti. *Raches* et costae mediae pinnularum per longitudinem sulcatae in utroque latere, superne convexae hirsutulae vel pubescentes, inferne glabrae.

Invenitur in montibus sitis ad occasum portus *Rio-Janeiro.*

POLYPODIUM *aculeatum*; frondibus supradecompositis bipinnatis, pinnulis lanceolato-acuminatis profunde pinnatifidis, laciniis lineari-lanceolatis obtuse serratis, soris solitariis, stipite aculeato rachibusque pubescentibus, caudice arboreo. *tab.* 42. *Syn. Fil. brasil. n.* 78.

Cyathea hirsuta. *Presl. Delic. Prag. I. p.* 190. *n.* 40. (est verum Polypodium, et Sori nullo modo exhibent characteres spectantes ad genus *Cyathea*).

Caudex arboreus, 5-10 pedalis, inermis, superne squamis lanceolatis longissime acuminatis pallidis, et minutim ad margines fimbriatis vestitus. *Frondes* bipinnatae, alternae, approximatae, longe stipitatae, tres pedes et amplius habentes longitudinis cum stipite, qui est glaber, fuscus, aculeatus et anterius tripliciter sulcatus, sulco medio aliquantum hirsuto in sua cavitate. *Rachis* universalis stipiti similis et paululum flexuosa. *Pinnae* 8-10 pollicares, alternae: *pinnulae* pariter alternae, 1 $^1/_2$-2 pollicares, sessiles, profunde pinnatifidae, inferiores 1 $^1/_2$-2 pollicares, superiores sensim minores

decurrentes; laciniae lineares, subfalcatae, obtuse serratae, 3-4 lineas longae, lineam circiter latae, inferius oculo armato albido-punctatae, venis fuscis pilosiusculis. *Sori* solitarii, convexissimi: *capsulae* pallidae, nitidissimae; annulis ferrugineo-claris. *Raches* partiales universali similes. *Costae* mediae pinnularum utrinque prominentes, hirsutae.

Invenitur prope verticem *Corcovado*, mons proximus *Rio-Janeiro*.

b. Indusiatae, vel capsulis aggregatis membranula vario modo figurata obtectis.

RUMOHRA *Rad. Op. sc. di Bol.* 1819. *T. III. p.* 290. *t. XII. fig.* 1.

Gen. char. essent.

Sori subrotundi sparsi; *Indusia* subrotunda operculiformia disco libera, demum circumscissa caduca.

RUMOHRA *aspidioides*; fronde supradecomposita triangulari triplicato-pinnata, pinnis lanceolatis obtuse serratis, inferioribus pinnatifidis, superioribus confluentibus; stipite inferne rotundato, superne sulcato; rachibusque glabris. *tab.* 43.-*Syn. Fil. brasil. num.* 87.

Polypodium (*coriaceum*) frondibus subopposite decompositis coriaceis, glabris; foliis pinnatis: pinnis lanceolatis obtuse serratis; inferioribus basi pinnatifidis. *Sw. Fl. ind. occid. III. p.* 1688. *Prod.* 133.

Stipes semipedalis, rigidus, glaber, supra canaliculato-sulcatus, subtus rotundatus, punctis minutissimis nigris adspersus. *Frons* bipedalis et longior, decomposite ramosa vel triplicato-pinnata, triangulari. *Rami* sulcati, subpaleacei, rigidi. *Pinnae* primariae suboppositae, inferiores 16 pollicares, superiores sensim breviores: *pinnae* secundariae alternae, vel suboppositae, inferiores simpliciter pinnatae vel bipinnatifidae semipedales, superiores sensim minores. *Pinnulae* alternae, ovato-lanceolatae, obtusae, subcoriaceae, utrinque glabrae, terminales subintegrae confluentes; mediae obtuse serratae; infimae pinnatifidae, laciniis ovatis obtusis. *Raches* marginatae, supra sulco leviter exaratae. *Sori* subrotundi, simplici ordine utrinque ad nervum pinnularum dispositi. *Capsulae* totidem pilis compressis, linearibus, et persistentibus adhaerentes: in centro ipsorum sororum columella longitudinaliter striata, caduca. *Indusia* operculiformia disco libera, in orbem dehiscentia, caduca. *Frons* adulta et senescens, delapsis indusiis, facillime sumi potest pro vero Polypodio.

Reperitur in summis montibus *Estrellae* in Provincia *Rio de Janeiro*.

Hoc genus jam fuit a me institutum in honorem doctissimi D. Caroli de Rumohr Holstein bonarum artium cultoris, et patroni optimi. *v. Rad. l. c.*

ASPIDIUM *Sw. Syn. Fil. p.* 3.

Polypodii Sp. *Lin.*, Hypopeltis *Rich.*, Nephrodium *Mich.*
Aspidium et Nephrodium *R. Brown.*

Gen. char. essent.

Sori subrotundi sparsi; *Indusio* umbilicato vel dimidiato tecti.

+· *Frondibus pinnatis.*

ASPIDIUM *macrophyllum*; frondibus pinnatis, pinnis oblongo-lanceolatis acuminatis, terminali tripartita sinuata, lateralibus subsinuato-repandis, infimis bi-trilobisve subsinuatis, soris biserialibus. *Willd. Sp. pl. V. pag.* 217. *num.* 11. *Syn. Fil. brasil. num.* 79.

A frondibus pinnatis, pinnis lato-lanceolatis sinuato-subcrenatis laciniatisve, infimis basi auriculatis, fronde stipiteque glaberrimis. *Sw. Syn. Fil. p.* 43. *et* 239.

Aspidium martinicense. *Spreng. Anl. III. p.* 133.

Hemionitis maxima Linguae Cervinae affinis. *Plum. Fil. pag.* 124. *tab.* 145. *Pluken. Phyt t.* 289. *f.* 3?

Hemionitis altera, pentaphylla elegantior. *Plum. Fil.* 126 *t.* 147?

Invenitur in sylvis opacis montium *Estrellae* prope torrentes.

Exemplaria a nob. collecta frondes habent 3-4 pedes longas; *stipites* tripliciter sulcatos in anteriori latere; *pinnulas* alternas, 8-10 pollicares, et 1-1 1/2 pollicem latas. Cetera omnino conveniunt cum Swartziana descriptione.

Frondes adolescentis plantae multum assimilantur *Aspidio trifoliato W.*

ASPIDIUM *paludosum*; frondibus pinnatis, pinnis alternis lanceolato-acuminatis, duplicato-serratis, superne subvillosis, inferne hirtis, basi superiore obtuse auriculatis, inferiore subauriculatis, margine punctatis; soris solitariis marginalibus, indusiis hirtis *t.* 44.

A. acutum? *Syn. Fil. brasil n.* 80.

Frons 5-8 pedalis, pinnata. *Stipes* canaliculatus, nitidus, paleaceus, fuscus. *Rachis* concolor leviter canaliculata, paleis minutissimis piliformibus contecta. *Pinnae* 3-4 pollicares, semipollicem latae, alternae, subsessiles, horizontales, oblongo-lanceolatae, acuminatae, laete virentes, tenerae, supra raris, subtus densis pilis paleaceis minutissimis articulatis cum squamulis stellato-radiatis immistis obsitae, margine duplicato-serratae, basi utraque oblique truncatae, superiore obtusissime auriculatae, inferiore subauriculatae, venis tenuissimis parallelis sub marginem in puncto fusco desinentibus. *Costae* mediae pinnarum utrinque convexae, et, ut rachis, paleaceo-hirtae. *Sori* subrotundi, solitarii, marginales. *Indusia* peltata, hirta, vel pilis articulatis tecta, ut in

Aspidio molle. Pinnae inferiores breviores, steriles, superne glabriusculae, basi superiore tantum subaritae.

Invenitur in sylvis inundatis prope *Rio-inhumirim.*

Aspidia *acutum* et *hirsutulum* a D. Schkuhr exhibita, primum ad *tab.* 31., alterum ad *tab.* 33. perquam similia sunt nostro, quod speciem intermediam et eamdem speciem constituere videtur, et solum indusium, in nostro hirsutum, in duobus commemoratis glabrum, et frondium altitudo a nostra specie ea secernit.

ASPIDIUM *pendulum*; frondibus pinnatis. pinnis falcatis duplicato-serratis, supra margine albo-punctatis, basi superiore truncato-auriculatis, soris solitariis marginalibus reniformibus, stipite subrotundo glabro, rachi canaliculata paleis minutissimis fuscis obsita. *tab.* 45. *Syn. Fil. brasil. n.* 81.

Caudex brevissimus vel subnullus, e quo exeunt stolones longissimi, filiformes, subteretes, atropurpurei, nitidissimi, glabri, brevibus et tenuibus radiculis aliquantum ramosis identidem instructi. *Stipites* stolonibus similes, quatuor ad sex pollices longi. *Frondes* 3-4 pedales, pinnatae, pendulae: *pinnae* alternae, approximatae, lanceolato-falcatae, acutiusculae, simpliciter et etiam dupliciter obtuse-serratae, saepe quasi crenatae, glabrae, 1 1/2 - 2 pollices longae, 3-4 lineas latae, inferiores et superiores sensim minores, infimae paullo declinatae, supra ad marginem punctis albis notatae, basi superiore truncatae auriculatae, inferiore rotundatae vel subcordatae, quandoque subauriculatae (imprimis versus apicem). *Sori* marginales, reniformes: *capsulae* paucae, ferrugineae. *Indusia* pariter reniformia, eiusdem magnitudinis sororum, quae ex latere vel margine convexo aperiuntur. *Raches* superne canaliculatae, atro-purpureae, saepe fuscae, paleis concoloribus minutissimis conspersae, quae vero aetate glabrae fiunt. *Costae* mediae pinnarum utrinque glabrae, brunneae, supra planae sulco leviter exaratae.

Invenitur in veteribus muris et fissuris rupium ad radices montium *o Frade*, et *Corco-secco*; necnon ad truncos arborum in sylvis opacissimis *Mandiocae.*

ASPIDIUM *exaltatum*; frondibus pinnatis, pinnis lanceolatis subfalcatis apice obtuse-serratis supra margine albo-punctatis, basi superiore truncato-auriculatis, soris solitariis marginalibus rotundis, stipite rachique paleaceis. *tab.* 46.-*Syn. Fil. brasil. num.* 82.

A. exaltatum. *Willd. Sp. V. p.* 229. *n.* 34.?

Nephrodium exaltatum. *Humb. et Bompl. N. G. I p.* 11.? *excl. syn.*

Stipes pedalis, et, ut *rachis* canaliculatus, fuscus, paleis vel squamulis lanceolatis acuminatis ciliatis concoloribus undique tectus. *Frons* bipedalis aut longior, pinnata: *pinnae* mediae sesquipollicares, quatuor lineas latae, inferiores et superiores sensim

minores, alternae, approximatae, lineari-lanceolatae, subfalcatae, glabrae, versus apicem simpliciter saepe dupliciter serratae, supra ad marginem punctis albis notatae, basi superiore truncatae et breviter acute-auriculatae, inferiore rotundato-attenuatae; *pinnae* infimae suboppositae, obtusissimae, et paullo latiores. *Sori* marginales, rotundi: *capsulae* numerosissimae. *Indusia* umbilicato-subreniformia, atro-purpurea, glabra.

Invenitur in sylvis opacis ad truncos arborum prope *Mandiocca.*

Differt a *Polypodio exaltato Lin.*: stipes paleaceus, et non glaber, ut describit *Willdenow* et exhibet *Plumier*, qui ei tribuit caudicem digiti crassitudinem habentem, et carnosum, dum in nostro est tenuis, lignosus et repens. Insuper asserit *Plumier* suum invenisse secus rivulos, dum nostrum super arbores semper invenitur. Figura a *Schkuhr* exhibita ad nostrum potius accedit, cum inspiciatur etiam rachis sparsa paleis, quod non observatur in figura Plumierana.

ASPIDIUM *Serra*; frondibus triangularibus pinnatis, pinnis alternis linearibus utrinque attenuatis, terminali latiore, pinnatifidis, subtus pubescentibus, laciniis semiovatis acutis, rachi hirta, stipite glabro. *Willd. Sp. pl. V. p.* 240. *n.* 56.

A. frondibus pinnatis, pinnis ensiformibus subpinnatifidis attenuatis, laciniis semiovatis acutis nervosis *Schk. crypt. p.* 35. *t.* 33. *b.* (*mala*).

A. frondibus pinnatis, pinnis lineari-ensiformibus subpinnatifidis attenuatis laxis, terminali latiore, incisuris semiovatis acutis nervosis, fronde deltoidea. *Sw. Syn. Fil. p.* 47.

Polypodium (*Serra*) frondibus subbipinnatifidis, pinnis linearibus longissimis attenuatis inciso-serratis, serraturis semiovatis acutis nervosis. *Sw. Fl. ind. occ.* 3. *p.* 1665.-*Prodr.* 132.

Filix non ramosa maior, surculis raris brevioribus, pinnulis crebris latis brevibus. *Sloan H. jam. I. p.* 90. *t.* 48. (*mala*).

Stipes 8 pollicaris canaliculatus, nitidus, glaber. *Frons* 1-2 pedalis, pinnata: *pinnae* suboppositae, sessiles, lineari-lanceolatae, inciso-serratae vel subpinnatifidae, superne glabrae, inferne pubescentes, 4-5pollicares, semipollicem fere latae, superiores sensim minores, incisuris semiovatis acutis convexis subciliatis. *Rachis* superne sulcata, glabriuscula vel levissime pubescens.

Invenitur ad margines fossarum udarum prope *Rio de Janeiro,* necnon in sylvis humidis.

ASPIDIUM *falciculatum*; frondibus pinnatis, pinnis suboppositis oblongo-lanceolatis pinnatifidis acuminatis utrinque pubescentibus, laciniis falcatis apice denticulatis vel obtuse-serrulatis, soris submarginalibus, stipite angulato rachibusque pubescenti-paleaceis *tab.* 47.-*Syn. Fil. brasil. n.* 84.

Caudex subpollicaris, squamoso-paleaceus, radiculis filiformibus rigidiusculis nigris instructus. *Frondes* alternae approximatae, erectae, 15-pollicares, pinnatae vel bipinnatifidae: *pinnae* quadripollicares, suboppositae, oblongo-lanceolatae, acuminatae, profunde-pinnatifidae, subsessiles, ultimae confluentes; laciniae lineari-falcatae, subdenticulatae, apice obtusae, parallele et oblique venosae, utrinque leviter pubescentes. *Sori* subrotundi, submarginales. *Indusia* umbilicata, subreniformia, glabra, margine denticulata. *Stipites* pedales, et, ut *raches*, angulato-sulcati, pubescentes, squamis paleaceis lanceolatis acuminatis integerrimis fuscis deciduis adspersi.

Invenitur in saltibus montosis in viciniis *Rio de Janeiro.*

Simillimum Polypodiis *falciculato* et *vestito*, a quibus tamen differt ob indusiorum praesentiam.

ASPIDIUM *invisum*; frondibus pinnatis, pinnis lineari-lanceolatis pinnatifidis glabris, laciniis lanceolato-falcatis, infimis fere brevioribus. *Sw. Syn. Fil. p.* 48.-*Willd. Sp. V. p.* 244. *n.* 64. *Syn. Fil. brasil. n.* 85.-*Schk. crypt.* 15. *tab.* 18.

Polypodium (*invisum*) frondibus bipinnatifidis glabris, pinnis lineari-lanceolatis longissimis attenuatis, pinnulis acutis falcatis, baseos aequalibus. *Sw. Fl. ind. occ.* 3. *p.* 1672: *Prodr.* 133.

P. (*invisum*) frondibus pinnatis, pinnis lineari-lanceolatis pinnatifidis attenuatis subtus pubescentibus, laciniis ovato-acutis falcatis *Forst. p.* 81.

Frons bipedalis, pinnata *pinnae* inferiores oppositae, superiores alternae, sex pollices circiter longae, lineari-lanceolatae, profunde-pinnatifidae, apice longe attenuatae serrulatae, superne glabrae, inferne hirsutulae vel pubescentes; laciniis lanceolatis, falcatis. *Sori* subrotundi, uniseriati. *Indusia* umbilicato-reniformia, hirta. *Rachis* tetragona, canaliculata, hirsuta.

Incolit sylvas montium *Estrellae* et *Corcovado.*

ASPIDIUM *patens;* frondibus pinnatis, pinnis lineari-lanceolatis pinnatifidis attenuatis, laciniis lanceolato-falcatis ciliatis, infimis longioribus, subtus venis pilosis *tab.* 48.

A. frondibus pinnatis, pinnis pinnatifidis, laciniis lanceolatis acutis, infimis pinnarum ultimarum longioribus pinnatifido-incisis, venis subtus hirtis. *Willd. Sp. V. p.* 244. *n.* 65.

A. frondibus pinnatis, pinnis lineari-lanceolatis pinnatifidis attenuatis subtus pubescentibus, laciniis oblongis acutis baseos longioribus. *Sw. Syn. Fil. p.* 49, *excl. Syn. Forst.*

Polypodium (*patens*) fronde bipinnatifida subtus villosiuscula, pinnis lineari-lanceolatis elongatis, pinnulis oblongis acutis integris, infimis longioribus. *Sw. Fl. ind. occ.* 3. *p* 1673. *Prodr.* 133.

Caudex repens, simplex. *Stipes* pedalis, quadrangularis, canaliculatus, glaber. *Frons* subbipedalis, pinnata: *pinnae* suboppositae, sessiles, lineari-lanceolatae, profunde pinnatifidae, in apicem serratum attenuatae, octo pollicum longitudine, 8-10 linearum latitudine; laciniae lanceolato-falcatae, acutiusculae, margine convexiusculae, ciliatae, apice leviter repandae, superne glabrae, inferne venis pilosis; laciniae infimae, scilicet illae ad basin longiores: hae in duobus infimis paribus pinnarum sunt plus minus profunde incisae, subpollicares, erectae. *Sori* subrotundi, uniseriati. *Indusia* umbilicato-reniformia, ampla, rufidula, paucis supra pilis albidis, sed plerumque nudis. *Costae* pinnarum superne canaliculatae, utrinque squamulis minutissimis tectae.

Reperitur in sylvis humidis, praecipue juxta rivulos non procul ab Urbe *Rio de Janeiro*.

Polypodium nymphale Forst. ex quo D. *Schkuhr* suam figuram descripsit, esse certe debet species diversa ab *Aspidio patente Sw.*, ut idem quoque *Schkuhr* suspicatus est.

ASPIDIUM *molle*; frondibus pinnatis, pinnis lanceolatis utrinque pilosis pinnatifidis, laciniis oblongis obtusis integerrimis, infimis subaequalibus. *Willd. Sp. pl. V. p.* 246. *n.* 67. *Syn. Fil. brasil. n.* 86.

A. frondibus pinnatis, pinnis lanceolato-acuminatis pinnatifidis utrinque villosis, laciniis oblongis obtusis integris, infimis subaequalibus. *Sw. Syn. Fil. p.* 49.-*Schk. crypt. p.* 37. *tab.* 34. *b.*

Aspidium patens. *Willd. enum.* 1069.

Polypodium (*molle*) frondibus subbipinnatis villosis mollibus, foliolis sublanceolatis acuminatis subpinnatifidis, lobulis integerrimis obtusis. *Jacq. icon. rar.* 3. *t.* 640. (*optima*) *Collect.* 3. *p.* 188.

Radix fibrosa, ramosissima, nigra. *Frondes* plures pedales, vel sesquipedales, pinnatae. *Stipites* semipedales, quadrangulares, sulcati, basi semiteretes, squamis lanceolatis acuminatis subciliatis contecti. *Raches* quadrangulares, canaliculatae, pubescentes. *Pinnae* alternae, quatuor pollices fere longae, pinnatifidae, inferiores et superiores sensim minores, lineari-lanceolatae, acuminatae, utrinque villosae: laciniae lanceolato-subfalcatae, integerrimae, modo obtusae, modo obtusiusculae, et modo fere acutae, infimis superioribus pinnarum inferiorum inciso-crenatis, et aliquantum longioribus. *Sori* subrotundi, uniseriati, approximati. *Indusia* umbilicato-reniformia, hirta, vel pilis longiusculis albicantibus tecta. *Pinnae* infimae suboppositae, brevissimae, et constanter reclinatae.

Crescit ad margines rivulorum in viciniis *Rio de Janeiro*.

+ + *Frondibus bipinnatis.*

ASPIDIUM *scandens*; frondibus bipinnatis, pinnis pinnulisque alternis acutis subfalcatis glabris, subtus venis pubescentibus, caudice densissime paleaceo, scandente. *tab.* 49.

Caudex scandens, qui arborum trunco adhaerens per tenues radices huc illuc sparsas ad altitudinem notabilem saepe pervenit, humani digiti crassitie, squamis lineari-lanceolatis acuminatis denticulato-fimbriatis ferrugineis densissime contectus. *Stipites* pedales, glabri, superne angulato-sulcati, inferne rotundati, squamis paleaceis sparsis obsiti. *Frondes* bipedales et longiores, bipinnatae. *Pinnae* alternae, inferiores suboctopollicares pinnatae, superiores sensim minores, terminales obtuse serratae, basi breviter auriculatae; *pinnulae* inferiores breviter pedunculatae, 2-3 pollicares, fere pollicem latae, obtuse serratae, apice subfalcatae, acutae, basi superiore brevissime auriculatae, supra laeves, subtus venulis pubescentibus; superiores subintegerrimae, confluentes. *Rachis* universalis stipiti omnino similis; partiales levissime pubescentes, supra unico sulco leviter exarato.

Scandens ad arbores opacarum sylvarum prope *Mandioccam*, ubi copiose invenitur, sed nullum individuum videre potui in fructificatione. Dominus Langsdorff, cum quo simul eram in eius agro *Mandioccae*, mihi affirmavit esse hoc *Aspidium* alio iam tempore ab ipso inspectum cum fructificatione.

ASPLENIUM *Lin.*

Darea *Juss.*, Caenopteris *Berg.*

Gen. char. essent. W.

Sori lineares, transversales, sparsi. *Indusia* e venis lateralibus orta costam versus dehiscentia.

+ *Fronde indivisa.*

ASPLENIUM *Nidus*: fronde lato-lanceolata subsessili, soris confertissimis parallelis costae approximatis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 303. *n.* 3.-*Syn. Fil. brasil. n.* 90. *vid. tab.* 53.

A. frondibus simplicibus lanceolatis integerrimis glabris. *Linn. Sp. pl.* 1537.

A. fronde lanceolata integerrima glabra subsessili. *Sw. Syn. Fil.* 74.

Phyllitis indica maxima latissimis foliis planis musae facie. *Moris. H.* 3. *p.* 558. *s.* 14. *tab.* 1. *fig.* 15.

Stipites plures aggregati, semipedales subquadrangulares, supra canaliculati, glabri. *Frondes* tripedales et longiores, lato-lanceolatae, glabrae, 4-5 pollices latae, basi angustatae, margine leviter repandae, parallele et oblique venosae, venis bifidis. *Sori* inaequales, paralleli, confertissimi et tenuissimi, qui duas tertias partes frondium latitudinis circiter occupant; *indusiis* tenuissimis, pallidis. *Costa* vel *rachis* triangularis, glabra, supra canaliculata.

Reperitur super truncos arborum in sylvis *Mandioccae*, nec non in rupibus montis *Corcovado*.

+ + *Fronde pinnata.*

ASPLENIUM *limbatum*; frondibus pinnatis, pinnis oppositis ovato-lanceolatis membranaceo-marginatis denticulatis basi rotundatis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 310. *n.* 17. *Syn. Fil. brasil. n* 91.

Aspl. (*marginatum*) fronde pinnata, pinnis oppositis ovato-lanceolatis, margine membranaceo-subdenticulatis. *Sw. Syn. Fil.* 76.

Lingua cervina latifolia, membrana tenui marginata. *Plum. Fil. p.* 88. *tab.* 106.

Fruticosum. *Caudex* altitudinis et crassitudinis variae, glaber. *Frons* subquadripedalis pinnata. *Stipes* brevissimus rachisque inanis, fragilis, supra canaliculatus, glaber. *Pinnae* lineari-lanceolatae, acuminatae, fragiles, tenerae, utrinque glabrae, 1-1 1/3 pedales, 2 1/2-3 pollices latae, flavo-virides, marginato-denticulatae, venosae; venis obliquis parallelis bifidis marginem versus anastomosato-reticulatis. *Sori* inaequales, a costa media et margine remotiusculi in disco pinnarum, tenues, oblique-paralleli; *Indusia* subfusca.

ASPLENIUM *salicifolium*; frondibus pinnatis, pinnis alternis lanceolatis acuminatis falcatis serratis, serraturis inferioribus obtusissimis, superioribus acutis, basi superiore truncato-obtuse-auriculatis, inferiore cuneatis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 313. *n.* 24;-*Syn. Fil. brasil. n.* 92.-*Spreng. anleit. III. p.* 105. *tab.* 3. *fig.* 23. *v. t. n.* 50.

A. frondibus pinnatis, pinnis falcato-lanceolatis crenatis, basi sursum angulatis. *Lin. Sp. pl. p.* 1538.

A. frondibus pinnatis, pinnis subtrapezio-lanceolatis falcatis inaequaliter crenatis, basi sursum obtuse rectangulis. *Sw. Syn. Fil.* 77.

Lonchitis major, pinnulis, latioribus leviter denticulatis, superiore latere auriculatis. *Sloan. Jam. H. I. p.* 78.

Lonchitis glabra major. *Plum. Amer.* 18. *t.* 17. *Fil p.* 46. *tab.* 60. (*mala*) *an* species distincta?

Caudex repens, squamulosus, crassitie calami scriptorii, radiculis filiformibus ferrugineo-hirtis instructus. *Stipites* 4-6 pollicares, profunde sulcati, virides, glabri, basi

ferrugineo-hirsuti. *Frondes* subsesquipedales, pinnatae. *Pinnae* alternae, subsessiles, lanceolato-acuminatae, subfalcatae, obtuse serratae, utrinque glabrae, serraturis inferioribus paulo longioribus, basi superiore truncato-obtuse-auriculatae, inferiore cuneatae, saepe subauriculatae, tenerae. *Pinnae* inferiores plerumque breviores. *Raches* supra canaliculatae, subtus carinatae, virides, tenerae, glabrae. *Sori* obliqui, paralleli, 4-5 lineares, vix arcuati. *Indusia* membranacea, fusca, marginata.

Incolit sylvas humidas montis *Corcovado*, praecipue ad rivulos et torrentes.

ASPLENIUM *brasiliense*; frondibus pinnatis, pinnis alternis, subfalcato-oblongis obtusis, inciso-et obtuse-serratis, serraturis subfalcatis, basi superiore truncato-subauriculatis, inferiore cuneatis, infimis deflexis. *tab.* 51. *fig.* 1.

Aspl. tenerum. *Syn Fil. brasil. n.* 93.

Caudex brevissimus aut subnullus, squamosus, radiculis numerosis filiformibus hirsutis instructus. *Stipes* subteres, 4-5 pollicaris, levissime marginatus, atro-purpurascens, basi plerumque incurvatus, glaber, quandoque squamulis minutissimis sparsis instructus. *Frons* 12-15 pollicaris, pinnata. *Pinnae* alternae, subsessiles, oblongae, subfalcatae, obtusae, margine inciso-et obtuso-serratae, serraturis paulo incurvatis, basi superiore truncatae vel leviter incavatae, sursum brevissime et obtuse auriculatae, inferiore cuneatae, utrinque glabrae, unum pollicem vel amplius longae, quatuor ad quinque lineas latae; *pinnae* inferiores deflexae, et aeque ac superiores gradatim breviores, summae confluentes. *Sori* obliqui, paralleli. *Indusia* fuscescentia. *Rachis* stipiti similis. In recentibus frondibus pinnae sunt saepe obtusiores et breviores, et raches pilis paleaceis aspersae.

Vulgare in sylvis montosis Provinciae *Rio Janeiro*, praecipue juxta rivulos et torrentes.

Ex differentiis huius plantae a me observatis in individuis aetatis diversae, et in diversis locis educatis, opinor Asplenia *tenerum* et *laetum* Swartz esse idem, et ambo ad nostram speciem pertinere. *Asplenium laetum* Schkuhr (*A. abscissum W.*) posset forte huc pertinere.

ASPLENIUM *semicordatum*; frondibus pinnatis pinnis lanceolatis, subfalcatis, acutis subduplicato-obtuse-serratis, basi superiore subauriculato-cordatis, inferiore truncato-cuneatis. *tab.* 52. *fig.* 1.

Aspl. abscissum? *Syn. Fil. brasil. n.* 94.

Caudex subpollicaris; crassitie pennae anserinae, squamis lanceolatis fuscis, radicibusque filiformibus hirsutis tectus. *Stipites* tri-vel quadripollicares, canaliculati, glabri viridi fuscescentes, superne levissime marginati. *Frondes* 6-8 pollicares pinnatae. *Pinnae* alternae, breviter petiolatae, lanceolatae, acutae, utrinque glabrae, specie enerves,

crassiusculae vel tenerae, oculo armato minutissime punctulatae, margine inciso-subduplicato-serratae, serraturis obtusissimis, basi superiore subauriculato-cordatae, inferiore cuneatae, laete flavo-virides, 1-1 1/2 pollicares, 3-4 lineas latae, horizontales, in recentibus frondibus vel junioribus pinnae infimae saepe declinatae. *Raches* et *petioli* pinnarum marginato-canaliculati, virides glabri. *Sori* obliqui, lineares, approximati, infimis subarcuatis. *Indusia* pallide viridia, dein fuscescentia.

Communissimum in omnibus sylvis umbrosis et montosis Provinciae *Rio de Janeiro*, praesertim apud torrentes.

ASPIDIUM *pulchellum*; frondibus lineari-lanceolatis pinnatis, pinnis dimidiatis subrhomboidalibus acuminatis glabris, latere superiore inciso-serratis, inferiore integris, basi attenuato-cuneatis. *tab.* 52. *f.* 2. *Syn. Fil. brasil. n.* 95.

Filix 2-4 pollicaris. *Radices* caespitosae, fibrosae, villosae. *Frondes* confertae, lineari-lanceolatae, pinnatae, stipitibus brevissimis, marginatis, basi imbricato-squamosis. *Pinnae* alternae, brevissime petiolatae, rhombeo-subfalcatae, acutae, utrinque glabrae, tenerae, per lentem minutissime punctulatae, quatuor lineas circiter latae, margine superiore inciso-serratae, serraturis acuminatis, inferiore angusto-integrae, basi utrinque attenuato-cuneatae. *Raches* filiformes, marginatae, virides, plerumque squamulosae. *Sori* duo vel tres in qualibet pinna, obliqui, in pinnis inferioribus saepe solitarii. *Indusia* membranacea, pallida, dein fuscescentia: *capsulae* vel *sporangia* numerosa, fusca.

Invenitur in rupibus humidis montium *Estrellae* prope *Mandiocca*.

ASPLENIUM *lassum*; fronde angusta longissima lassa pinnata, pinnis lanceolatis inciso-serratis subauriculatis, auriculis bi-trifidis, incisionibus aristula brevi terminatis; stipite setaceo, subsesquipedali. *tab.* 22 *bis f.* 4. *Syn. Fil. brasil. n.* 96.

Asplenium (*mucronatum*), frondibus linearibus flaccidis pinnatis, pinnis sessilibus alternis ovatis acuminatis glaberrimis serratis, serraturis mucronatis, rachi utrinque alata, soris parallelis costae approximatis. *B. Presl. in Delic. Prag. Vol. I. p.* 178. *n.* 27.

Filix angusta, lassa, pendula. *Radix* fibrosa, fibrillis setaceis villosis. *Stipites* plures sesquipollicares, setacei, virides, glabri, sulco leviter exarati, basi nigrescentes et squamulis lanceolatis acutis nigro-reticulatis cincti. *Frondes* 1-1 1/2 pedales, stricte pinnatae, lassae, seu flaccidae, glaberrimae. *Pinnae* mediae subpollicares, inferiores et superiores gradatim minores, horizontales, alternae, lanceolatae, vel ovato-lanceolatae, acutae, basi cordatae, sessiles, margine inciso-serratae, tenerae, laete virides, incisionibus aristula brevi terminatis, infimis vel potius auriculis bi-trifidis. *Sori* lineares, oblique paralleli, costae approximati: *Indusia* membranacea, fuscescentia.

Invenitur in Provinciis *S. Paulo* et *Rio de Janeiro* ad arborum truncos in sylvis opacissimis. Species a D. Pohl, amico optimo, mihi communicata.

ASPLENIUM *ambiguum*: frondibus pinnatis, pinnis lanceolato-acuminatis pinnatifidis glabris breviter petiolatis, basi superiore auriculatis, laciniis oblongis obtusis serrulatis; soris ad venas transversales utrinque decussantibus, in junioribus frondibus solitariis et costae utrinque contiguis. *tab.* 54. *Syn. Fil. brasil. num.* 99. *Schk. Crypt. p.* 69. *t.* 75. *a?*

Frons sesquipedalis, pinnata. *Stipes* octo-pollicaris *rachi*que angulato-sulcatus, glaber, fuscus. *Pinnae* alternae petiolatae, oblongo-lanceolatae, acuminatae, pinnatifidae, utrinque glabrae, inferiores semipedales, sesquipollicem ad 2 poll. latae, superiores sensim minores, ultimae sessiles, subfalcatae, serrulatae, et saepe confluentes: *laciniae* alternae, oblongae, subfalcatae, obtusae, acute serrulatae, infima superioris lateris paululum longior, illa inferioris lateris semper brevior. *Sori* obliqui, alterni, ad nervos transversos amborum laterum cuiusque laciniae siti; in junioribus frondibus solitarii, et costae mediae pinnarum utrinque approximati; in frondibus adultis invenitur interdum aliquis geminatus propter appropinquationem nervorum quibus adhaerent, quod rarius accidit. *Indusia* fuscescentia, interne dehiscentia. *Frondes* juniorum plantarum pinnas habent minus laciniatas, et soros solitarios, aliquantum incurvatos et contiguos duobus lateribus costae mediae earumdem pinnarum; ideoque primo intuitu specem diversam ostendunt.

Reperitur in sylvis opacis montis *Corcovado*.

+ + + *Fronde bipinnatifida.*

ASPLENIUM *sulcatum*; frondibus subbipinnatis: pinnis acutissimis serratis pinnatifidis et basi pinnatis *Lam. Enc. meth.* 2. *p.* 305. *n.* 29.-*Syn. Fil brasil. n.* 97.

Asplenium bissectum. *Sw. Fl. ind. occ.* 3. *p.* 1614?

Lonchitis dentata pinnularum cacumine bissecto. *Plum. Fil. p.* 36 *t.* 46?

Radix squamoso-paleacea, fibrosa, fibris ramosiusculis ferrugineo-hirtis. *Stipites* plures, 7-8 pollicares, supra canaliculati, glabri, viridi-fuscescentes. *Frondes* 1-1 1/2 pedales, lato-lanceolatae, sub-bipinnatae. *Pinnae* lanceolatae, subfalcatae, alternae, breviter petiolatae, pinnatae vel profunde pinnatifidae, glaberrimae, basi superiore auriculatae, infimae 3-4 pollicares, superiores sensim minores; *pinnulis* ovato-rhomboidalibus, inciso-denticulatis, decurrentibus, laete viridibus, substriatis, superioribus bifidis integrisve in caudam longiusculam acuminatam confluentibus. *Sori* costae mediae approximati, tres ad sex in singulis pinnulis inferioribus, duo in mediis, soli et recti in superioribus. *Capsulae* numerosissimae, ferrugineae: *Indusia* pallida, interne dehiscentia. *Rachis* universalis infra profunde sulcata, extremitatem versus marginata.

Incolit sylvas opacas Provinciae *Rio Janeiro*.

Differt hoc a figura plumierana: *Pinnae* vero alternae et non oppositae, pinnatae ad basim, et non pinnatifidae, neque incisae. In junioribus individuis sunt plerumque sori ita capsulis abundantes, ut *Indusia* omnino contegant, cum tamen prorsus iisdem carere videantur.

+ + + + *Fronde bipinnata.*

ASPLENIUM *pseudo-nitidum.* frondibus deltoideo-bipinnatis, pinnis pinnatis alternis, pinnulis rhombeo-ovatis obtusissimis serrato-dentatis, infimis basi sursum auritis, rachi stipiteque paleaceo-hirtis, angulato-sulcatis. *tab.* 55.

Aspl. martinicense. *Syn. Fil. brasil. n.* 98.

Radix fibrosa ramosissima fusca, fibrillis hirtis. *Frondes* subpedales, triangulari-deltoideae, latitud. 10 poll., bipinnatae. *Stipites* fere longitudine frondium angulato-sulcati, rigidi, atropurpurei, pilis paleaceis ferrugineis sparsis obsiti. *Rachis* universalis stipiti simillima; partiales alatae. *Pinnae* alternae, pinnatae, horizontaliter patentes. *Pinnulae* alternae, rhombeo ovatae, obtusissimae, basi cuneatae, subdecurrentes, serrato-dentatae, utrinque glabrae, supra lucidae et obscure virentes, subtus pallidiores, venosae, infimae subpetiolatae, ultimae confluentes. *Pinnae* terminales incisae, vel inciso-serratae, basi sursum auriculatae. *Pinnulae* infimae lateris exterioris duarum pinnarum infimarum longiores, acuminatae, et inciso-auriculatae ad basim, utrinque truncato-cuneatae. *Sori* recti s. vix obliqui, alterni, costae approximati. *Capsulae* numerosissimae, ferrugineae. *Indusia* pallida.

Invenitur in declivitate montis nuncupati *o Frade.*

Affine videtur *Aspl. nitido* Swartz, a quo differt, stipite rachique universali angulato-sulcatis, et pilis paleaceis undique tectis. Affine quoque *A. Martinicensi* W., notis indicatis tamen figura frondis differt.

+ + + + + *Fronde triplicato-pinnata.*

ASPLENIUM *rachirhizon*; frondibus triplicato pinnatis glabris, rachi filiformi elongata radicante terminatis, pinnis bipinnatis sub-oppositis sursum incurvatis, summis minoribus et simpliciter pinnatis, pinnulis omnibus cuneiformibus emarginato-bifidis; soris rectis subsolitariis. *tab.* 56.

Aspl. unisoriale. *Syn. Fil. brasil. n.* 100.

Filix elegantissima subbipedalis tota glaberrima.

Stipites semipedales, profunde canaliculati atropurpurei lucidi. *Rachis* universalis stip. simillima, apice radicante; partiales e viridi purpurascentes, sulco leviter exaratae vel canaliculatae. *Frondes* subsesquipedales triplicato-pinnatae, *rachi* filiformi elongata

radicante terminatae. *Pinnae* primariae subsessiles, inferiores oppositae, fere quadripollicares, superiores alternae brevissimae. *Pinnae* secundariae alternae, 10 lineas longae, superiores sensim breviores. *Pinnulae* alternae, omnes cuneiformes, apice oblique emarginatae vel emarginato-bifidae, infimae majores et profunde bifidae. *Sori* recti, breves, plerumque solitarii in qualibet pinnula. *Capsulae* numerosissimae, pallide ferrugineae. *Indusia* pallida.

Habitat altos montes Provinciae *Minas Geraes*. Species nobis exhibita a D. Langsdorff.

ASPLENIUM *adiantoides*; frondibus triplicato-pinnatis glabris, pinnis lato-lanceolatis acuminatis, pinnulis cuneiformibus apice inciso-dentatis. *tab.* 51. *f.* 2. *Syn. Fil. brasil. n.* 101.

Filix subpedalis, Adianti nigri facie.

Stipes quinquepollicaris glaber, supra fuscescens sulco leviter exaratus, subtus rotundatus, basin versus nigrescens. *Frons* triplicato-pinnata, tota glaberrima; *pinnis* primariis et secundariis petiolatis alternis remotiusculis. *Pinnulae* inciso-subpinnatifidae, basi utrinque cuneatae, laete flavo-virides, teneriusculae, laciniis s. incisionibus integerrimis obtusis. *Raches* omnes supra fuscescentes, planiusculae aut levissime canaliculatae, subtus pinnulis concolores. *Sori* magnitudine pinnularum longissimi, recti, e venis simplicisssimis orti. *Capsulae* pallidissime ferrugineae, nitidissimae; annulis rufo-ferrugineis. *Indusia* pallida, interne dehiscentia.

Invenitur cum sequenti secus viam regiam quae ducit ad *Minas-geraes*, inter montes nuncupatos *o Frade* et *Corco-secco*.

SCOLOPENDRIUM *Smith. Act. taur.* 1791. *p.* 410. *t.* 9. *f.* 2.
Asplenii Sp. *Linn.*

Gen. char. essent. Sw.

Sori lineares, gemini, sparsi: *Indusiis* superficiariis oppositis sibi invicem incumbentibus.

SCOLOPENDRIUM *ambiguum*; frondibus ovato-lanceolatis integerrimis glabris, basi attenuatis, stipite paleaceo. *tab.* 57. *fig.* 1. *Syn. Filic. brasiliensium n.* 102.

Scolopendrium (*repandum*) frondibus simplicibus lanceolatis acutis repandis, basi attenuatis, stipite alato paleaceo. *B. Presl. in Del. prag. I. p.* 180 *n.* 29.

Radix fibrosissima, fibrillis filiformibus ramosis villosis. *Frondes* plures 8-10 pollicares, oblongo-lanceolatae, submembranaceae vel tenerae, glabrae, venosae, margine

integerrimae saepe laevissime subrepandae, basi attenuatae, *Stipites* compressi, marginati, paleis lanceolatis acuminatis fuscis adspersi, praecipue ad basin. *Raches* vel costae mediae utrinquè convexae, glabrae. *Sori* lineares, oblique paralleli, geminati, interdum adeo distantes, ut verum *Asplenium* videri possit. *Indusia* strictissima, fusca.

DIPLAZIUM *Sw. Syn. Fil. p.* 4.

Asplenii Sp. *Lin.*

Gen. char. essent.

Sori lineares sparsi, gemini ab eadem vena frondis orti, simplices vel ramosi: *Indusiis* geminis e vena iter soros, utrinque exterius dehiscentibus.

+ *Fronde simplici.*

DIPLAZIUM *acuminatum*; frondibus simplicibus oblongo-lanceolatis acuminatis glabris apice plerumque serrulatis, soris inaequalibus numerosissimis, stipite sulcato-tetragono glabro. *tab.* 57. *fig.* 2.

D. (*repens*) frondibus simplicibus oblongo-lanceolatis acuminatis glabris apice serrulatis, soris parallelis numerosissimis, stipite glabro tetragono, caudice repente. *Syn. Fil brasil. n.* 103.

Caudex 2-3 pollicaris, repens initio, deinde ascendens, glaber, anserina pluma crassior, fortissimis et longis radicibus filiformibus undique instructus. *Frondes* 10-12 pollicares, oblongo-lanceolatae, acuminatae, utrinque glabrae, obscure virides, margine leviter repandae, subdenticulatae, apice plerumque serrulatae. *Rachis* vel costa media supra canaliculata. *Stipites* longitudine frondium aut longiores, sulcato-tetragoni, glabri, fusci, angulis rotundatis s. obtusi. *Sori* numerosissimi, lineares, paralleli, longitudinis inaequalis, et fusci.

Reperitur in locis umbrosis et humidis, praecipue ad rivulos, in summitate montis *Corcovado*. Variat, cum inveniatur interdum cum caudice fere prorsus erecto; ex quo mihi visum est mutare nomen specificum jam ei datum. Medium est inter Diplazia *plantagineum* et *castaneifolium* Swartz.

+ + *Fronde bipinnata.*

DIPLAZIUM *ambiguum*; frondibus bipinnatis, pinnulis alternis sessilibus adnatis, inferioribus lineari-lanceolatis acutiusculis duplicato-et obtuse serratis, superioribus apice rotundatis serrulatis confluentibus; soris inaequalibus decussatis, caudice arborescente. *tab.* 58.-*Syn. Fil. brasil. n.* 104.

Caudex arborescens. *Frondes* 6-7 pedales, bipinnatae. *Stipites* angulati, glabri. *Rachis* universalis tetraquetra, leviter pubescens, sulcata in lateribus: *raches* partiales pariter pubescentes, paleaceae, superius canaliculatae, inferius rotundatae. *Pinnae* alternae, pinnatae, brevissime petiolatae, inferiores 15-pollicares aut longiores, superiores gradatim breviores, summae vel terminales profunde pinnatifidae. *Pinnulae* bipollicares vel longiores, alternae, lineari-lanceolatae, inciso-et obtuse-serratae, incisuris serrulatis, utrinque glabrae, venosae, supra obscure virides, nitidae, subtus pallidiores, basi adnatae: superiores sensim minores, apice rotundatae, serrulatae, confluentes. *Costae* mediae utrinque eminentes, fuscae. supra canaliculatae glabrae, subtus marginatae, paleis minutissimis simplicibus laciniatisque adpressis obsitae. *Sori* geminati, fusci, lineares, decussati, inaequalis longitudinis, solitarii in extremis pinnis, quae habent etiam omnes lacinias rotundatas, et serrulatas ad apicem. *Indusia* tenuissima.

Invenitur in sylvis opacis prope *Mandiocca*.

DIPLAZIUM *pulcherrimum*; frondibus bipinnatis, pinnulis subrhomboidalibus, basi inaequalibus sursum obtuse auriculatis glabris, margine sinuoso-subrepando, soris oblongis, stipite rachibusque paleaceo-pilosis, caudice arborescente. *v. tab.* 59. *Syn. Fil. brasil. n.* 105. *tab.* 2. *fi.* 2.

Aspidium (*truncatulum*), frondibus bipinnatis, pinnulis rhombeo-oblongis truncato-obtusis, margine superiore repandis, soris margini superiori approximatis, stipite glabro. *Willd. Sp. pl. V. p.* 256. *n.* 86.

Asp. (*truncatulum*), frondibus bipinnatis, pinnis ensiformibus pinnatis, pinnulis rhombeo-ovatis, deorsum sublunatis, sursum undulatis, marginem versus soriferis. *Sw. Syn. Fil. p.* 52. *et* 252.

Asp. (*cultratum*) frondibus bipinnatis, pinnis linearibus alternis, pinnulis trapezoidibus obtusis apice crenulatis, inferne dimidiatis, soris marginalibus uniserialibus, indusiis integris, stipite rachique paleaceis villosis. *Presl. Delic. Prag. I.* 174. *n.* 22. (est verum Diplazium).

Adiantum (*lunulatum*), frondibus pinnatis: pinnis lunulatis quinquefloris. Houttuyn. *Lin. Pfl. Syst.* 13. *p.* 252. *t.* 100. *fig.* 1.

Didymochlena (*sinuosa*), stipite rachibusque paleaceis; frondibus bipinnatis, pinnis lineari-lanceolatis, pinnulis glabris, rhomboidalibus, basi inaequalibus sursum auriculatis, marginibus sinuosis; soris submarginalibus, in quilibet nervia solitariis. *Desv. journ. de Botan. Janv.* 1813. *p.* 23. *t.* 2. *fig.* 4.

Lonchitis ramosa, cauliculis seu costis squamosis. *Plum. Filic. p.* 43. *tab.* 56.

Filix elegantissima arborescens, cuius caudex ad crassitudinem circiter humani brachii pervenit.

Frondes 6-7 pedales, bipinnatae, stipitibus rachibusque omnibus angulato-sulcatis rufescentibus, squamis lanceolatis pilisque tenuissimis articulatis caducis concoloribus obsi-

tis. *Pinnae* alternae, sessiles, lineari-lanceolatae, pinnatae, patentes, 10-12 pollicares infimae ultimaeque breviores. *Pinnulae* alternae, approximatae, subsessiles vel brevissime petiolatae, glabrae, venulosae, dimidiatae, rhombeo-oblongae, obtusissimae, fere pollicares, e viridi-flavescentes, apice serrulatae, basi sursum obtuse subauriculatae, margine superiori sinuoso-subrepandae. *Sori* veri Diplazii, oblongi, oblique siti prope marginem, quinque ad septem, scilicet quatuor circa marginem superiorem, unus ad inferiorem, vel quinque ad superiorem et duo ad inferiorem. *Indusia* fusco-rufescentia, geminata, e venis orta.

Abunde crescit in sylvis montanis et humidis, praesertim juxta torrentes in provincia *Rio de Janeiro*. In monte *Corcovado* copiosius quam alibi vidi.

PTERIS *Linn.*

Gen. char. essent. Sw.

Sori lineares continui, marginales. *Indusio* e margine frondis inflexo, interius dehiscente.

+ *Fronde simplici.*

PTERIS *sagittifolia*: frondibus simplicibus lanceolato-sagittatis acutis, stipite tereti atro-fusco nitido. *tab.* 63. *fig.* 1. *Syn. Fil. brasil. n.* 106.

Radix fibrosissima. *Frondes* cum stipite pedis longitudinem habentes, lanceolatae acuminatae, sagittatae, utrinque glabrae, aveniae, margine integerrimae, supra obscure virides, subtus nonnihil albidae, lobis lanceolatis acuminatis rectis, non raro subfalcatis. *Nervus* seu *costa* media rotundata, inferius atropurpurea nitida, superius epidermide laminae frondis tecta: loborum nervi subferruginei, minimum prominentes, et saepe fere obliterati. *Sorus* marginalis continuus. *Indusium* membranaceum, ferrugineo-fuscum. *Stipites* fere longitudine frondium, atro-purpurei vel nigri, nitidissimi, teretes, frondem versus sulco leviter exarati.

Invenitur cum sequenti in sylvis montium prope *Mandiocca*.

PTERIS *hastata*; frondibus simplicibus hastato-sagittatis, lobis auriculatis, stipite tereti atropurpureo nitido. *tab.* 63. *fig.* 2.

Filix 16-18. pollicaris.

Radix fibrosissima, nigra. *Stipes* atro-purpureus nitidissimus, exacte teres, longitudine frondis. *Frons* hastato-sagittata, acuminata, avenia, margine integerrima, superne obscure viridis, inferne pallida, utrinque glaberrima: *lobi* quadripollicares, acu-

minatissimi, basi auriculati, divaricati, subtus nervis atropurpureis nitidissimis instructi. *Sorus* ut in praecedenti.

+. + *Fronde palmata.*

PTERIS *varians*: frondibus sterilibus obtuse trilobis, fructificantibus quinquelobo-palmatis, lobis lineari-lanceolatis acutis simplicibus pinnatifidisve, laciniis marginis inferioris longissimis, sinubus rotundatis, stipite tereti glaberrimo. *tab.* 64. *Syn. Fil. brasil. n.* 107.

Pteris hederacea. *B. Presl. in Del. Prag. I. p.* 181 *n.* 30.

Radix squamosa fibrosissima, fibrillis lanuginosis ferrugineis: *squamae* paleaceae, lineari-lanceolatae, acuminatae, medio fuscae, marginibus membranaceo-reticulatis, pallide ferrugineis, integerrimis. *Stipites* frondium fructificantium 6-7 pollicares, teretes, glaberrimi, atro-fusci, nitidissimi. *Frondes* fere tripollicares, in juvenibus plantis profunde quinquelobo-palmatae, lobis simplicibus, lineari-lanceolatis, acutis, margine integerrimis, utrinque glabrae; in provectioribus lobus medius profunde pinnatifidus, cum infimis laciniis longis unum pollicem cum dimidio, et integris; in adultis omnes quinque lobi profunde pinnatifidi, cum laciniis longissimis, angustioribus et sinubus semper rotundatis, subtus nervis simplicibus atropurpureis nitidissimis. *Sori* continui totum marginem tegunt; *Indusia* e viridi fusca, membranacea. *Frondes* steriles 2-3 pollicares cum stipite, subquinquelobae, glabrae, lobi breviqus obtusissimis: ipsae primo intuitu foliis aceris assimilantur.

Invenitur in vertice montis *Corcovado*, ubi tantum hanc speciem inspexi.

PTERIS *collina*: frondibus sterilibus obtuse subquinquelobis, fructiferis profunde quinquelobo-palmatis glabris lobis pinnatifidis, laciniis lineari-lanceolatis acutis, infima lobis intermedii utrinque integerrima, sinubus rotundatis, stipite laevi canaliculato. *tab.* 65. *fig.* 1. *et* 2. *Syn. Fil. brasil. n.* 108.

Caudex repens, niger, dense squamosus, crassitie digiti minoris, *radiculis* tenuissimis numerosis nigricantibus ferrugineo-hirtis instructus: *squamae* similes illis speciei praecedentis. *Stipites* plures decempollicares, adscendentes, canaliculati, glabri, nitidissimi, atro-purpurei. *Frondes* tripartitae, vel profundissime quinquelobo-palmatae, utrinque glabrae, subtus nervis atro-purpureis nitidissimis instructae; sinubus rotundatis: *lobus* intermedius bipollicaris, laciniato-quinquefidus vel profunde pinnatifidus, laciniis lineari-lanceolatis acutis integerrimis, infimis fere sesquipollicaribus: *lobi* laterales subbipollicares, et aeque ac infimi plerumque integerrimi ad marginem superiorem, duabus longis laciniis in margine inferiori, rare una muniti. *Sori* et *indusia* simillima illis *Pteridis variantis*. *Frondes* steriles fructificantium minores ut in

praecedenti specie, 3-4 pollicares una cum stipite, tripartito-quinquelobae, lobis brevibus, latioribus, obtusis, breviter laciniatis.

Reperitur in collibus prope *Rio de Janeiro.*

PTERIS *pedata*: frondibus profundissime quinquelobo-palmatis, lobis pinnatifidis, laciniis lineari-lanceolatis acutis, infima lobi intermedii utrinque pinnatifida, lobo intermedio basi longissime cuneato, sinubus acutis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 358. *n.* 8.-*Schk. crypt.* 91. *t.* 100.-*Rad. Syn. Fil. brasil. n.* 109.-(*vid. tab.* 66.-).

Pt. frondibus 5-angulis trifoliatis, pinnis pinnatifidis, lateralibus bipartitis. *Linn. Sp. pl.* 1532.

Pt. fronde simplici quinquangula producta tripartita, intermedia trifida, lateralibus bifidis. *Lin. H. Cliffort.* 473.

Pt. frondibus 5-angulis trilobatis tripartitisque glaberrimis, laciniis pinnatifidis, lateralibus bipartitis, deorsum auritis. *Sw. Syn. Fil. p.* 105.-

Hemionitis foliis atro-virentibus maxime dissectis s. filix geranii robertiani folio. *Sloan. jam.* 15. *H. I. p.* 73.

Hemionitis profunde laciniata ad oras pulverulenta. *Plum. Amer. p.* 24. *tab.* 34. *Fil.* 130. *t.* 152.

Filix Hemionitis americana, petroselini foliis profunde laciniatis. *Pluken. Alm.* 155. *t.* 286. *f.* 5.

Adiantum monophyllum americanum foliis profunde laciniatis ad oras pulverulentum. *Moris. H.* 3. *p.* 592.

Stipites plures e radice squamosa fibrosissima orti, semipedales vel longiores, teretes, atro-fusci, undique levissime pubescentes. *Frondes* tripartitae s. profundissime quinquelobo-palmatae, glabrae, nervis atro-fuscis, inferne nitidis, superne pubescentibus: *lobus* intermedius 3, poll. cum dimidio, profundissime pinnatifidus, basi longissime attenuato-cuneatus: *lobi* laterales subtripollicares, profundissime pinnatifidi; infimi 2 1/2-poll. pinnatifidi. *Sori* continui totum marginem per sinus et lacinias tegunt. *Capsulae* numerosissimae, pallide ferrugineae, nitidissimae. Sinus loborum et laciniarum acuti.

PTERIS *pedata* (β.) laciniis longioribus, lobis infimis integris, stipite glaberrimo. *Syn. Fil. brasil. l. c.-v. tab.* 66. *bis.*

Differt a praecedenti: *Stipes* glaberrimus, nitidus; *lobus* intermedius frondis quinquepollicaris, laciniis inferioribus tripollicaribus vel longioribus; *lobi* laterales tribus pollicibus cum dimidio, infimi plerumque integri, interdum paullulum incisi, et *nervi* utrinque glabri.

PTERIS *pedata* (γ.) laciniis omnibus angustioribus *tab.* 65. *fig*, 2.

Differt a praecedenti varietate lobis tantum et laciniis frondium arctissimis et angustis, et lobis infimis pinnatifidis, ut in varietate (α).

PTERIS *geraniifolia*; frondibus profundissime quinquelobo-vel pinnatifido-palmatis glabris, lobo intermedio basi utrinque auriculato-cuneato, stipite canaliculato, subsquamuloso paleaceo. *tab.* 67. *Syn. Fil. brasil. n.* 110.

Radix squamosa, fibrosa, fibrillis numerosissimis ferrugineo-lanuginosis; squamae lineari-lanceolatae, acuminatae, linea longitudinali medio atro-fusca. *Frondes* numerosae, profundissime quinquelobo-vel pinnatifido-palmatae, utrinque glabrae, subtus nervis nigro-purpurascentibus nitidissimis instructae: *lobus* intermedius subtripollicaris, profundissime pinnatifidus, basi attenuato-cuneatus, utrinque auriculatus, laciniis lanceolatis acutis; infimis penultimisve utrinque pinnatifidis, laciniis brevibus: *lobi* laterales plusquam bipollicares, profunde pinnatifidi, laciniis infimis marginis inferioris longioribus, incisis vel pinnatifidis; infimi 1 ½-2 pollicares, utrinque pinnatifidi, laciniis omnibus integerrimis. *Sori* ut in *Pteride pedata*. *Stipites* 8-pollicares, semiteretes, atro-purpurascentes, nitidi, subtus squamulis paleaceis minutissimis adspersi, supra canaliculati et plerumque in cavitate, maxime in juvenibus frondibus, leviter pubescentes si vitrea lente inspiciantur. *Frondes* steriles tripartito-subquinquelobae, marginibus loborum et laciniarum crenulatis: *sinus* omnes acuti.

Invenitur frequenter in viciniis *Rio de Janeiro* in sepibus et marginibus sylvarum aeque ac tres praecedentes varietates *Pteridis pedatae*.

+- +- + *Fronde pinnatifida vel pinnata, pinnis inferioribus compositis.*

PTERIS *tristicula*: frondibus pinnatis, pinnis lobato-pinnatifidis glabris, lobis vel laciniis marginis inferioris longioribus, omnibus lanceolato-acuminatis integerrimis, stipite canaliculato glabro, rachi alata. *tab.* 69. *Syn. Fil. brasil. n.* 112.

Caudex subnullus, radiculis numerosis filiformibus flexuosis rigidis instructus, apice dense squamuloso, squamulis lanceolato-acuminatis denticulatis nigris. *Stipites* plures, 6-8 pollicares, subtetragoni, superius canaliculati, pallidi, glabri. *Frondes* longitudinis stipitum, pinnatae. *Pinnae* alternae, inferiores saepe suboppositae, profunde laciniato-pinnatifidae, profundissime 2-vel 3-partitae in primis frondibus cuiusque plantae, laciniis lanceolatis acuminatis integris, spinuloso-serratae ad apicem, reticulato-venosae, obscure virides, utrinque glabrae. *Sori* continui s. margines pinnularum laciniarumque praeter apices occupantes. *Indusia* ex nervo marginali continuo nascentia, membranacea, adpressa. *Raches* alatae, canaliculatae, glabrae, pubescentes in axillis.

Invenitur in sylvis circa pagum nuncupatum *Catumby* non procul ab urbe *Rio de Janeiro.*

PTERIS *brasiliensis*: frondibus pinnatis subbipinnatisve, pinnis inferioribus profundissime partitis pinnatisve, pinnulis lanceolato-acuminatis glabris apice spinuloso-serratis, infimis petiolatis, summis sessilibus subdecurrentibus, stipite canaliculato, glabro. *tab.* 68. *Syn. Fil. brasil. n.* 111.

Pteris (*quadrifida*) frondibus ovatis pinnatis, pinnis oppositis basi cuneatis, apice ciliato-serratis, infimis petiolatis quadrifidis, mediis bipartitis, summis subdecurrentibus, pinnis laciniisque linearibus acuminatis. *B. Presl. in Del. Prag. I. pag.* 182. *num.* 32.

Caudex ut in praecedenti. *Frondes* plures 1 1/2 - 2 pedales; subbipinnatae. *Pinnae* subopposite, petiolatae; extremae integrae, sessiles, subdecurrentes; mediae in duas, tres, vel quatuor longas lacinias inaequales profunde divisae fere usque ad basim praesertim in margine inferiori; duae pinnae infimae fere pedales, plerumque pinnatae, pinnula extrema seu impar profunde divisa in duas partes inaequales, infima et extrema breviter petiolatae, ceterae sessiles, sex ad septem pollices longae, lanceolatae, reticulato-venosae, glabrae. *Sori* angusti qui margines omnino cingunt, exceptis apicibus. *Stipites* longitudinis frondium, et aeque ac *raches* subtetragoni, canaliculati, fuscescentes, glabri. In juvenibus plantis frondes sunt simpliciter pinnatae cum duobus infimis pinnis profunde bifidis. *Pinnae* frondium sterilium latiores, cum marginibus omnino spinuloso-serratis.

Abunde crescit in sylvis montis *Corcovado.*

+ + + + *Fronde bipinnatifida vel bipinnata, pinna infima bipartita, ramis bipinnatis.*

PTERIS *spinulosa*; frondibus triplicato-pinnatis, pinnulis alternis lineari-lanceolatis angustissimis decurrentibus, apice fertilibusque spinuloso-serratis, stipite laevi *tab.* 70. *Syn. Fil. brasil. n.* 115.

Elegantissima *Filix* sesquipedis circiter longitudinem habens, et amplius.

Radix fibrosa, squamis minutissimis lanceolatis acuminatis denticulatis nigris obtecta. *Frondes* plures bi-vel triplicato-pinnatae, distinctae. *Pinnae* subopposite, infimae bipartitae, ramis bipinnatis, mediae subbipinnatae, superiores pinnatae, ultimae seu extremae simplices: in juvenibus plantis infimae sunt pinnatae vel subbipinnatae, secundae simpliciter pinnatae vel pinnatifidae, ceterae simplicissimae. *Pinnulae* lineares vel lineari-lanceolatae, decurrentes, duas lineas fere latae, membranaceae, tenerae, laete virentes, glabrae, et, praesertim in frondibus sterilibus, inferius aspersae

squamis tenuissimis pellucidis albidis, figurae et magnitudinis inaequalis, quae speciem potius prae se ferunt totidem frustorum epidermidis ab ipsarum superficie sejunctorum; terminalis seu impar elongata: *pinnulae* frondium sterilium spinuloso-serratae ad marginem; illae frondium fertilium integerrimae, et spinuloso-vel ciliato-serrulatae ad apicem tantum. *Sori* marginales. *Capsulae* paucissimae, auratae. *Indusia* tenuissima, membranacea, pallida vel pallide viridia, adpressa. *Raches* subsquamulosae, alatae, subtus obsolete triangulares, supra sulco leviter exaratae. *Stipites* 10-12 pollicares, filiformes, debiles, glabrissimi; in frondibus sterilibus semper dimidio breviores.

Communissima in collibus circa *Rio-Janeiro*, praesertim apud *Matacavallos*, ubi invenitur ad margines sylvarum.

+ + + + + *Fronde bipinnatifida, pinna infima bipartita.*

PTERIS *biaurita*; frondibus pinnatis, pinnis oppositis suboppositisve pinnatifidis caudatis, infimis bipartitis, laciniis linearibus obtusis integerrimis approximatis glabris, nervis parallelis furcatis.

Pteris biaurita. *Syn. Fil. brasil. n.* 114.

Pteris biaurita. *Lam. Enc. meth. V. p.* 721? exclusis synon.

Radix fibrosa, radiculis ferrugineo-tomentosis. *Stipes* 14-pollicaris, glaberrimus, supra angulato-sulcatus, stramineo-fuscescens, basi atropurpureus. *Frons* 16-pollicaris, pinnata, octojuga. *Pinnae* oppositae vel suboppositae, subsessiles, profunde pinnatifidae, apice caudatae, laete virides, utrinque glaberrimae, inferiores 7-8 pollicares, superiores sensim breviores, infimae bipartitae, sectionibus s. divisionibus inferioribus brevissimis: *laciniae* approximatae, obtusissimae, integerrimae, longitudine 10-linearum, duas lineas et dimidiam latae, apice levissime repandae, nervis tenuissimis e basi furcatis, oblique parallelis instructae. *Rachis* et *costae* glaberrimae, stramineae.

Invenitur in sylvis opacis prope *Mandiocca*.

Descriptio, quam *Pteridis biauritae* tradit Lamark, nostrae plantae admodum convenit, exceptis parvis spinis quas interdum in petiolis inspexisse ait; et synonyma ab ipso relata minus ad hanc speciem, quam ad sequentem pertinent.

PTERIS *decurrens*; frondibus pinnatis, pinnis suboppositis decurrentibus pinnatifidis caudatis, infima bipartita, laciniis subfalcatis obtusis, reticulato-venosis, utrinque paleaceo-pilosis, apice obtuse serratis rachibus paleaceo-pilosis. *tab.* 70. *bis.*

Pt. (*decurrens*) frondibus pinnatis, pinnis suboppositis decurrentibus lineari-lanceolatis acuminatis pinnatifidis, infima bipartita, laciniis linearibus acuminatis subfalcatis, apice serrulatis, rachibus piloso-scabris. *B. Presl. in Del. prag. I. p.* 183. *n.* 33.

an. var. *Pteridis biauritae Lin.?*

Stipes plusquam pedalis, supra angulato-sulcatus, subtus obsolete carinatus, pallidus aut pallide fuscescens, nitidus, pilis paleaceis raris minutissimis adspersus. *Frons* subsesquipedalis, pinnata. *Pinnae* suboppositae, 6-7 pollicares, superiores decurrentes, lineari-lanceolatae, profunde pinnatifidae, apice caudatae vel pinnula longissima lineari-lanceolata duplicato-serrata terminatae, laete virides, utrinque pilis paleaceis aspersae: *pinnae* infimae bipartitae, inferioribus divisionibus brevioribus. *Sori* margines laciniarum laterales, occupant, at non apicem, neque earumdem sinus. *Capsulae* numerosae pallide ferrugineae. *Indusia* tenuissima. *Rachis* et *Costae* paleaceo-pilosae, supra sulcatae, pallidae.

Invenitur copiose in sylvis montis *Corcovado*.

+ + + + + + *Fronde tripartita, ramis bipinnatis.*

PTERIS *pallida*: fronde tripartita, sectionibus bipinnatis, pinnulis oppositis ovato-lanceolatis obtusis sessilibus, basi superiore subauriculatis, infimis inciso-pinnatifidis, laciniis rotundatis, stipite rachibusqne glaberrimis *tab.* 71. *Syn. Fil. brasil. n.* 116.

Frondes 2-3 pedales, tripartitae; divisionibus bipinnatis. *Pinnulae* oppositae, adnatae, ovato-lanceolatae, obtusissimae, supra pallide-vel flavo-virides, subtus pallidissimae, utrinque glabrae; infimae inciso-pinnatifidae, incisionibus rotundatis integerrimis; mediae indivisae, subfalcatae, margine subrepandae, basi sursum brevissime auriculatae; ultimae coadunatae. *Sori* tenuissimi continui, qui pinnularum superiorum margines fere prorsus occupant; in inferioribus interrupti. *Capsulae* pallidissimae, annulis ferrugineo-auratis. *Indusia* membranacea pallida e margine orta. *Raches* universales fistulosae, teretes, flavae, nitidissimae, glabrae; partiales stramineae, subcanaliculatae, glabrae.

Species nobis exhibita a D. Langsdorff, qui eam invenisse asseruit in montibus provinciae *Minas-Geraes*. *Pteridis aquilinae* habitum habet, sed ejus pinnae sunt bis latiores et longiores.

Addere hic mihi liceat brevem descriptionem aliae Pteridis, quam ego quidem ex Brasilia non attuli, sed tantum vidi in Herbario Clarissimi viri et amicissimi mei D. Josephi Antoir a secretis Legati pro Francorum Rege in Etruria, quae extat descripta, et delineata in primo Volumine Historiae Jamaicensis Sloane, sed minime commemoratur a D. Willdenow in suo: *Plantarum Species*.

PTERIS *Sloani*; frondibus subbipinnatis, pinnis alternis, basi heterophyllo-pinnatis. *v. tab.* 71. *bis.*

Filix non ramosa maxima, surculis raris, pinnis variis inferioribus scil. oblongis acutis, superioribus vero asplenii subrotundis. *Sloan. Jam. II. I. p.* 89. *tab.* 47.

Stipes canaliculatus, fulvescens, glaber. *Frons* sub-bipinnata. *Pinnae* alternae, breviter petiolatae, 3-4 pollicares, basi heterophyllo-pinnatae; pinnulis sessilibus, superioribus subrotundis crenulatis, inferioribus oblongo-lanceolatis denticulatis vel serrulatis dichotome venosis, utrinque glabris. *Rachis* universalis stip. simillima; partiales utrinque convexae, marginatae, stramineae.

LOMARIA *Willd. in Mag. d. Ges. nat. f. z. Berl.* 1809. *p* 160.
Stegania *R. Brown.*

Gen. char. ess.

Capsulae partem frondis inferiorem dense tegentes. *Indusium* continuum marginale interius dehiscens in utroque latere frondis.

LOMARIA *brasiliensis*: frondibus pinnatis, sterilium pinnis lanceolatis apice acuminatis serrulatis, basi oblique subcordatis; fertilium linearibus paleaceis basi rotundatis vel subcordatis, indusiis laceris. *tab.* 72. *et* 72. *bis.*
Lomaria striata. *Syn. Fil. brasil. n.* 88.

Filix tripedalis et ultra, cuius fructificatio invenitur in frondibus distinctis, at in eadem planta.

Frondes pinnatae, fertiles, sterilibus semper longiores. *Stipites raches*que angulato-sulcati pallide fusci, squamis lanceolatis acuminatissimis deciduis obtecti. *Pinnae* frondium sterilium semipedales vel longiores, superiores sensim breviores, pollicem fere latae, alternae, approximatae, lanceolatae, acuminatae, margine integro subrevoluto, ad apicem tantum serrulatae, basi oblique subcordatae, inferiores brevissime petiolatae, superiores sessiles, oculo armato utrinque minutissime rugoso-punctulatae, glabrae, subtus squamulis raris paleaceis adspersae, nervis tenuissimis parallelis oblique-transversis notatae: *costa* media supra levissime canaliculata glabra, subtus rotundata squamosa. *Pinnae* frondium fertilium vel fructificantium alternae, sessiles, lineari-lanceolatae, integerrimae, basi rotundatae aut subcordatae, apice obtusiusculae, 4-5 poll. longae, 2 lin. circiter latae, supra aspersae squamis paleaceis lanceolato-acuminatis, praesertim in marginibus, infra soriferae a basi usque ad quatuor fere lineas sub apice; inferiores revolutae. *Capsulae* numerosissimae, fuscae, nitidissimae, utrinque ad costam totam pinnam occupant. *Indusia* membranacea, ferruginea, fusco-reticulata, lacera, e margine orta.

Invenitur saepissime ad margines nemorum humidorum in vallibus prope *Tijùc-*

cam. Haec species media est inter Lomariam *lineatam* et *striatam*, cum quibus convenit magna ex parte suis specificis characteribus.

LOMARIA? *fraxinifolia*; frondibus sterilibus pinnatis, pinnis alternis, lanceolatis, acuminatis, integerrimis, glabris, parallele striato venosis, subsessilibus, caudice angulato scandente squammoso. *tab.* 73.

Lomaria scandens. *Syn. Fil. brasil. n.* 89.

Caudex simplex seu quam parum ramosus, brevibus sed validis radicibus identidem munitus per quas arboribus haeret, et ascendens ad insignem altitudinem pervenit, angulatus, ferrugineus, squamis paleaceis acuminatissimis concoloribus vestitus, quae decidunt eodem durescente et crescente. *Frondes* alternae, subbipedales, pinnatae. *Stipites* et *raches* paleacei, supra angulato-sulcati, subtus rotundati. *Pinnae* alternae, subsessiles, lanceolatae, acuminatissimae, integerrimae, oblique striato-venosae, venis simplicibus et bifurcis parallelis, utrinque glabrae, subtus pallidiores et aspersae paucis et raris squamulis paleaceis quae venis adhaerent. Nunquam eius fructificationem vidi.

Filici scandenti etc. Plum t. 12. perquam similis est, praeterquam in margine pinnarum, qui in nostra planta integerrimus est, in Plumierana denticulatus.

Invenitur in sylvis opacis prope *Mandiocca.*

VITTARIA *Smith. in Act. taur. an.* 1791. *p.* 413. *t.* 9 *f.* 5.
Pteris *Linn.*

Gen. char. essent. Sw.

Sori lineares continui longitudinales per discum vel ad marginem frondis. *Indusio* duplici continuo, altero *exterius*, alio *interius* dehiscente.

VITTARIA *Schkurii*: frondibus linearibus angustissimis, pendulis, junioribus obtusis, soris solitariis intramarginalibus, radice fibrosa.

Vittaria lineata. *Schk. crypt. p.* 93. *t.* 101. *b. Syn. Fil. brasil. n.* 117.

Radix fasciculato-fibrosa, fibrillis lanuginoso-pilosis, pilis articulatis ferrugineis. *Frondes* sessiles 4-8 pollicares lineae latitudinem circiter habentes, lineares, nonnihil acutae, integerrimae, teneriusculae, glabrae, oculo lente vitrea munito minutim reticulatae, interstitiis pellucidis, basi leviter attenuatae, et squamis lanceolatis pallidis cinctae. *Sori* continui tenuissimi, intra margines inserti. *Capsulae* albidae, lucidissimae, annulis ferrugineis. *Indusia* angustissima vix visibilia. *Frondes* exteriores seu primariae pollicis circiter longitudinem habent, latiores apicem versus et obtusae.

Invenitur in sylvis opacis montis *Corcovado*, super truncos arborum emortuos.

Vittaria lineata Swartzj (*Pteris lineata* Lin.) a nostra differt suarum frondium magnitudine et rigiditate, et plus etiam praesentia caudicis repentis squamis lanceolato setaceis nigris contecti.

BLECHNUM *Linn.*

Gen. char. essent. Sw,

Sori lineares, longitudinales, continui, costae frondis utrinque paralleli, solitarii. *Indusio* superficiario continuo; *interius* dehiscente.

+ *Fronde simplici integra.*

BLECHNUM *lanceolatum*; frondibus simplicibus lanceolato-acuminatis integris, stipite filiformi. *tab.* 60. *fig.* 3. *Syn. Fil. brasil. n.* 118.

Stipites plures 3-5 pollicares e radice fibrosa orti, filiformes, debiles, angulato-sulcati, straminei, glabri, basi squamis lanceolatis subdenticulatis ferrugineis obsiti. *Frondes* longitudine stipitum vel paullo longiores, lanceolatae, semipollicem fere latae, acuminatae, basi paullo attenuatae, utrinque glabrae, quandoque supra squamulis membranaceis irregularibus, praecipue ad marginem, adspersae, margine oculo lente vitrea munito tenuissime cartilagineo-denticulato, nervis tenuissimis transversalibus parallelis furcatis instructae. *Sori* lineares, qui a semipollice circiter super frondis basim longitudinaliter decurrunt ad utrumque costae latus sub apice. *Capsulae* ferrugineo-fuscae, numerosissimae.

Invenitur in monte *Corcovado*, in locis lapidosis et umbrosis prope torrentes.

+ + *Fronde simplici pinnatifida.*

BLECHNUM *ceteraccinum*: frondibus pinnatifidis, laciniis ovatis acutiusculis, infimis rotundatis, lacinia extrema elongata acuta; stipite brevissimo paleaceo filiformi. *tab.* 60. *fig.* 1. *Syn. Fil. brasil. n.* 119.

Caudex brevissimus, trium ad quatuor linearum longitudinem habens, et squamis lanceolatis denticulato-ciliatis ferrugineis obsitus. *Frondes* plures fere 3-4 pollicares, brevissime stipitatae vel subsessiles, pinnatifidae, utrinque attenuatae, glabrae, quae *Ceterach officinarum* quodammodo imitantur: *laciniae* alternae, levissime repandae in earum margine, superiores ovato-oblongae, inferiores rotundatae, extrema elongata lanceolata acuta. *Sori* longitudinaliter in medio siti inter marginem et costam cuiusque laciniae; sed in laciniis inferioribus sunt solitarii, scilicet unus sorus in latere inferiori

costae seu nervi medii laciniae. *Indusia* fusco-purpurascentia, interius dehiscentia. *Rachis* vel costa media supra sulco tenui exarata, subtus rotundata subpubescens, basi squamoso-paleacea.

Reperitur in vertice montis *Corcovado*.

BLECHNUM *polypodioides:* frondibus pinnatifidis, laciniis lanceolatis acutis subfalcatis, extrema elongata acuminata subdenticulata; stipite paleaceo filiformi. *Syn. Fil. brasil. n.* 120.-*vid. tab.* 60. *fig.* 2.

Radices caespitosae fibrosissimae. *Stipites* numerosi 3-6 pollicares vel longiores, canaliculati, subpubescentes, pallide straminei, squamis paleaceis lanceolatis dentato-ciliatis adspersi. *Frondes* 8-12 pollicares, profunde pinnatifidae, vel subpinnatae, figurae et magnitudinis frondium sterilium *Blechni borealis*, seu *Polypodioidis vulgaris etc.* Micheliani, sed laciniae inter se plusculum distant: *laciniae* alternae, lanceolatae, acutiusculae, subfalcatae, utrinque glabrae, laete virides, subtus pallidiores; sub lente vitrea minutissime serrulatae, sed nudis oculis integerrimae apparentes, decem linearum ad unum pollicem longitudinem habentes, inferiores et superiores sensim minores, infimae deltoideae suboppositae, extrema elongata acuminata, margine repando. *Sori* a basi ad utrumque latus costae laciniarum usque fere ad ipsarum apicem decurrunt

Communissima circa margines sylvarum opacarum *Corcovado*.

+ + + *Fronde pinnata.*

BLECHNUM *occidentale;* frondibus pinnatis, pinnis inferioribus oppositis lanceolatis integerrimis basi subcordatis, superioribus alternis coadunatis. *Sw. Syn. Filic. p.* 113. *Wild. Sp. pl. V. p.* 412. *n.* 11.-*Syn. Fil. brasil. n.* 122.

B. frondibus pinnatis, pinnis lanceolatis oppositis, basi emarginatis. *Lin. Sp. pl.* 1534. *Jacq. Collect.* 3. *p.* 228. *icon. rar.* 3. *t.* 644.

Blechnum cartilagineum. *Schk. crypt. p.* 101. *t.* 108. *b.*

Lonchitis juxta nervum pulverulenta. *Moris. H.* 3. *p.* 568. *s.* 14. *t.* 2. *f.* 16.

Lonchitis s. Hemionitis pinnata juxta nervum pulverulenta. *Plum. amer. p.* 20. *t.* 29. *f. B. Fil.* 48. *t.* 62. *B.*

Filix minor in pinnas tantum divisa crebras non crenatas auriculatas et lineis pulverulentis notatas. *Sloan. jam. H.* 1. *p.* 87. *t.* 44. *fig.* 2.

Radix fibrosissima, fibrillis ramosis ferrugineo-hirsutis. *Stipites* plures 4-6 pollicares, compressiusculi, sub lente vitrea minutissime rugulosi, supra bisulcati, basin versus squamis lanceolatis ferrugineis obsiti. *Frondes* 8-10 pollicares, pinnatae. *Pinnae* alternae, sessiles, lanceolatae, subfalcatae, margine minutissime cartilagineo-serru-

latae, glabrae; inferiores bipollicares vel longiores, liberae ad utrumque latus basis, subcordatae; superiores gradatim breviores adnatae; terminales coadunatae, ultima seu impar elongata, recta; omnes sunt semper alternae, praeter duas infimas, quae interdum sunt oppositae, sed fere semper reclinatae. *Sori* contigui, totam longitudinem pinnarum costae, praeter apices, occupantes. *Capsulae* numerosissimae, ferrugineo-fuscae. *Indusia* membranacea, fusca. *Frondes* steriles fertilibus multo breviores, et earum pinnae latiores, *Rachis* frondium juvenum pubescens.

Invenitur circa sepes, et margines fovearum in viciniis *Rio de Janeiro*.

BLECHNUM *corcovadense*; frondibus pinnatis subsessilibus, pinnis longe lanceolatis acutis alternis approximatis argute rigideque serrulatis, basi latere inferiore dilatatis vel subdecurrentibus, summis confluentibus, rachi supra et infra canaliculato-sulcata. *Syn. Fil. brasil. n.* 121.-*vid. tab.* 61.

Blechnum (*nitidum*) frondibus lanceolatis pinnatis, pinnis adnatis linearibus acutis argute serrulatis coriaceis nitidis, infimis decrescentibus oppositis. *B. Presl. in Del. prag. I p.* 187. *n.* 37.

Caudex brevissimus multis frondibus circum cinctus quae quatuor pedum ad quinque longitudinem habent, subsessilibus, pinnatis. *Pinnae* alternae, lineari lanceolatae, acuminatae, subcoriaceae, utrinque glaberrimae, laete virides, nitidae, basi adnatae dilatatae, approximatae, margine argute rigideque serrulatae, nervis bifurcis tenuissimis oblique-parallelis instructae: *pinnae* mediae semipedales vel longiores; infimae decrescentes, apice rotundatae. *Sori* lineares, qui in frondibus adultis, ad latera costae pinnarum decurrunt a basi usque fere ad apicem ut in praecedenti specie. *Rachis* subtetragona, canaliculata, rigida, pallide-viridis, glabra, crassitie pennae anserinae.

Invenitur in monte *Corcovado* ad fontium scaturigines.

BLECHNUM *stagninum*: frondibus pinnatis, pinnis lineari-lanceolatis serratis subsessilibus, stipite glabro canaliculato, surculo semipedali hirto radicante, incrassato. *tab.* 62. *Syn. Fil. brasil. n.* 123.-an. Bl. calophyllum *Langsd. et Fisch. t.* 23?

Caudex semipedalis et amplius, erectus, nigrescens, squamis lanceolatis reticulatis fuscis tectus, et per totam fere longitudinem radiculis ramosis ferrugineis munitus. *Frondes* alternae, longe stipitatae, pinnatae, longitudine sesquipedales ad duos pedes et dimidium. *Pinnae* alternae et etiam oppositae, lineari-lanceolatae, subsessiles, coriaceae, inaequaliter serratae, utrinque glabrae, oblique-transversim lineatae, inferiores 2-3 pollicares vel longiores, quatuor ad quinque lineas latae, superiores sensim minores, ultima seu impar basim versus sinuata vel incisa: *costae mediae* subtus squamoso-paleaceae, squamis vel paleis cordatis acuminatis margine denticulatis. *Sori* lineares qui a basi cuiusque pinnae fere usque ad apicem pertinent. *Capsulae* numerosissimae, ferrugineae.

Indusia membranacea, subfusca, lacera. *Rachis* subteres antice longitudinaliter trisulcata, glabra. *Stipes* canaliculatus, glaber. Veteribus frondibus saepe succedunt totidem breves frondes steriles, quae sub priorum insertione surgunt.

Reperitur in stagnis non procul a flumine *Inhumirim*.

LINDSAEA. *Dryand. in Act. Soc. Lin. Lond. III. p.* 40.

Gen. char. essent. Sw.

Sori lineares continui submarginales. *Indusio* superficiario continuo, *exterius* dehiscente.

LINDSAEA *quadrangularis*: frondibus bipinnatis, pinnis suboppositis lanceolatis acutissimis, pinnulis trapeziformibus falcatis obtusis, superne crenulato-dentatis, infimis cuneiformibus, stipite rachibusque quadrangularibus glaberrimis. *tab.* 74. *Syn. Fil. brasil. n.* 124.-an L. trapeziformis var. *Langsd. et Fisch. t.* 24.

Filix subbipedalis et ultra.

Caudex repens, radiculis rigidis numerosis instructus. *Stipes* pedalis erectus, quadrangularis, rigidus, purpurascens, nitidus, glaber. *Frons* bipinnata. *Pinnae* suboppositae, semipedales aut longiores, longe lanceolatae, acutissimae, pinnatae. *Rachis* universalis stip. simillima, partiales tetragonae, glabrae nec nitidae, pallidae. *Pinnulae* alternae, approximatae, glabrae, brevissime petiolatae, oblongo-trapeziformes, subfalcatae, obtusissimae, dichotome venosae, obscure virides, steriles irregulariter dentatae in anteriori margine, fertiles denticulatae. *Sori* continui intra marginem anteriorem. *Capsulae* ferrugineae. *Indusia* membranacea, pallide viridia, exterius hiantia.

Invenitur in saltibus montosis ad radices arborum non procul ab Urbe *Rio de Janeiro*.

Simillima *Lindsaeae trapeziformi* Dryand., a qua tamen differt tum ob pinnulas margine superiori dentatas, nec integras, tum ob stipitem, et rachim quadrangularem.

LINDSAEA *stricta*; fronde bipinnata, pinnis erectis strictis, pinnulis lunato-cuneatis acutiusculis integerrimis, apicem versus decrescentibus. *Willd. Sp. pl. V. pag.* 425. *n.* 16.-*Syn. Fil. brasil.* 126.

L. fronde bipinnata, pinnis erectis strictis, pinnulis trapeziformibus. *Dryand. in Ac. Soc. Lin. Lond.* 3. *p.* 42.

L. fronde bipinnata, pinnis erectis strictis, pinnulis trapeziformibus deorsum sublunatis integris. *Sw Fl. ind. occ.* 3. *p.* 1722. *Syn. Fil.* 119.-*Schk. crypt.* 105. *tab.* 114.

Adiantum (*strictum*) fronde bipinnata, pinnis tetragonis fastigiatis erectis, pinnulis alternis lunatis integris, fructificationibus superioribus continuatis. *Sw. Prod.* 135.

Caudex repens, ferrugineo-hirsutus, radiculis filiformibus tortuosis rigidis instructus. *Stipes* decempollicaris erectus, semiteres, supra canaliculatus, basin versus planus, rubro-fuscus, nitidus, glaber. *Frons* bipinnata, octopollicaris. *Pinnae* quatuor pollicum usque ad quatuor pollices cum dimidio longitudinem habentes, modo oppositae, modo alternae, lineari-lanceolatae, pinnatae; *pinnulis* alternis brevissime petiolatis, trapeziformibus, obtusissimis, glabris, margine superiore denticulatis. *Sori* ut in praecedenti specie.

Invenitur in viciniis *Tijucca*, aeque ac species sequens.

LINDSAEA *javitensis*: fronde bipinnata, pinnis patentibus, pinnulis lunato-cuneatis obtusis rigidis integerrimis uniformibus, apicem versus decrescentibus, terminali minutissima. *Willd, Sp. pl. V. p.* 424. *n.* 15.-*Syn. Fil. brasil. n.* 125.-*vid. tab.* 75. *fig.* 1. *Humb. et Bompl. Nov. Gen. I. p.* 18.

Caudex repens. *Stipes* semipedalis, erectus, flavescens, nitidus, glaber, superne canaliculatus, inferne rotundatus. *Frons* pedalis, bipinnata, *pinnis* adscendentibus, alternis, distantibus, tripollicaribus vel longioribus, attenuatissimis, apice revolutis. *Pinnulae* alternae, subsessiles, lunato-cuneatae, subcoriaceae, obtusissimae, glabrae, integerrimae, inferiores bilineares, superiores gradatim minores, terminales, minutissimae, et postremo ad punctum fere redactae. *Sori* continui intra marginem superiorem. *Indusia* membranacea; pallide-viridia, denticulata. *Rachis universalis* stip. simillima, *partiales* tetragonae, pallidiores, glabrae.

ADIANTUM *Linn.*

Gen. char. essent. Sw.

Sori punctiformes et lineares, discreti, marginales, innati: *Indusiis* membranaceis e margine ortis replicatis, *interius* dehiscentibus.

+ *Fronde digitata, ramis pinnatis.*

ADIANTUM *radiatum*: fronde digitata, ramis pinnatis, pinnis lineari-oblongis obtusis subdimidiatis crenatis, basi sursum truncatis auriculatis, stipite glabro. *Willd. Sp. pl. V. p.* 437. *n.* 19.-*Syn. Fil. brasil. n.* 127.

A. fronde digitata, foliolis pinnatis, pinnis unifloris. *Lin. Sp. pl.* 1556.

A. fronde digitata, foliolis pinnatis, pinnis oblongis sursum auritis subcrenatis. *Sw. Syn. Fil. p.* 121.

A. nigrum majus non ramosum, surculis e pediculi summitate tanquam e centro stellae in modum radiatis. *Sloan. Jam. H. I. p.* 95.

A. jamaicense, pinnulis auriculatis ramosum, quinis ramulis ex eodem caulis puncto expansis. *Pluken. Alm. p.* 11. *tab.* 253. *f.* 3.

A. ramosum radiatum. *Plum. Amer. p.* 33. *t.* 49.

Lonchitis radiata, polytrichi facie. *Plum. Fil. p.* 55. *tab.* 100.

Trichomanes americanum radiatum. *Moris. H.* 3. *p.* 590. *s.* 14. *tab.* 4. *f.* 9.

Caudex brevissimus squamosus, magnitudine nucis avellanae, radiculis numerosis ferrugineo-lanuginosis instructus: *squamae* lanceolato-acuminatae, integerrimae, carinatae, carina fusca vel nigricans. *Stipes* 4-12-pollicaris, teres, atropurpureus, nitidissimus, glaber. *Frons* digitata, pinnis plerumque septem rare novem pinnatis, basi auriculatis, quarum intermedia 5-6-pollicaris, infimae 3-4-pollicares. *Raches* semiteretes, atropurpureae, nitidissimae, glabrae, alatae. *Pinnulae* quadrilineares, oblongae, obtusissimae, crenatae, glabrae, basi inferiore cuneatae, superiore dilatatae, sursum breviter auriculatae. *Sori* 8-10 in margine superiore, 6-8 in inferiore, subrotundi vel ovati. *Capsulae* ferrugineae. *Indusia* membranacea, pallida.

Invenitur in monte *Corcovado*.

+ + *Fronde bipinnata.*

ADIANTUM *brasiliense*; fronde bipinnata, pinnis inferioribus 4-5-partitis, pinnulis dimidiatis ovato-oblongis margine superiore apiceque plus minusve incisis, laciniis sterilibus dentatis, fertilibus integerrimis sublunatis, stipite triquetro pubescente. *tab.* 76.

Adiantum pubescens. *Syn. Fil. brasil. n.* 129.

Adiantum fruticosum brasilianum. *Bauh. pin.* 355. *prodr.* 150.

Avenca major margravii *l. I. c.* 12?

Filix trium circiter pedum altitudinem habens, cuius habitus exterior est idem ac *Lonchitidis ramosae rotundatae crenatae*, *Plum. Fil. t.* 53. (*Adiantum crenatum* W.)

Caudex repens. *Stipes* 10-16-pollicaris, triqueter, atro-fuscus, ferrugineo-pubescens. *Frons* 14-18-pollicaris, pinnis lineari-lanceolatis, alternis, pinnatis, quarum duae infimae 4-5-partitae vel bipinnatae; quamobrem frons subtripartita posset appellari. *Pinnulae* octo-lineares vel pollicares, alternae, brevissime petiolatae, dimidiato-oblongae, obtusissimae, basi superiore oblique truncatae, dichotome venosae, utrinque glabrae, margine superiore apiceque incisae, incisionibus pinnularum sterilium crenulatis, sori-

ferarum levissime emarginatis. *Sori* lineares, sublunati. *Capsulae* pallide ferrugineae. *Indusia* articulata, fusca.

ADIANTUM *brasiliense* (β.)

Adiantum pedatum. *Syn. Fil. brasil. n.* 128.

Differt a praecedenti: *pinnulae* majores, lineari-oblongae, nec sublunatae, apice plerumque fere truncato; *Stipes* glaber, interdum frondem versus aliquantum pubescens. Iuvenes frondes, idest primariae, saepe pedatae. *an species distincta?*

Haec et praecedens varietas frequentissimae in Sylvis *Corcovado.*

ADIANTUM *pulverulentum*: frondibus bipinnatis, pinnulis inferioribus deltoideis, superioribus oblongis dimidiatis basi et anterius truncatis apice et antice serratis, soris continuis, stipite rachibusque pubescentibus. *Willd. Sp. pl. V. p.* 446. *n.* 38.-*Syn. Fil. brasil. n.* 130.-*Schk. crypt. p.* 110. *t.* 119.-*Aubl. Gujan. II. p.* 965.-*Pluk. phyt. t.* 291. *f.* 1?

A. frondibus bipinnatis, pinnis ovalibus antice truncatis, unifloris, stipite hirto. *Lin. Sp. pl.* 1559.

A. frondibus bipinnatis, pinnulis rhombeo-ovalibus, apice serratis; soro lineari margini superiori solitario, stipite hirto. *Sw. Syn. Fil. p.* 124.

A. nigrum ramosum pulverulentum et falcatum. *Plum. Amer. p.* 32. *tab.* 47. *Fil.* 42. *t.* 55.

Filix sub-bipedalis et ultra.

Caudex repens, crassitie pennae anserinae, paleis lineari-subulatis denticulatis fuscis obtectus et radiculis filiformibus ferrugineo-lanuginosis instructus. *Stipites* subpedales vel longiores, triangulares, atro-fusci, pubescentes. *Frondes* bipinnatae. *Pinnae* plerumque novem, alternae, 5-6 pollicares, lanceolatae, pinnatae. *Pinnulae* alternae, semipollicares et etiam longiores, dimidiato-oblongae, subfalcatae, basi superiore truncatae, sursum angulatae, saepe brevissime auriculatae, apice serratae, utrinque glabrae, dichotome et tenuissime venosae, infimae trilineares deltoideae. *Rachis universalis* teretiuscula, pubescens; *partiales* supra sulco leviter exaratae. *Sori* lineares continui vel solitarii in margine superiore pinnularum. *Indusium* duplex; *exterius* membranaceum, pallidum; *interius* articulatum, fuscum, inflexum.

Haec quoque frequens invenitur super *Corcovado* ut praecedentes.

ADIANTUM *fovearum*: frondibus bipinnatis, pinnulis oblongo-subrhomboidalibus, vel rhombeo-trapezoideis acutis subfalcatis, sterilibus inciso-denticulatis, soriferis apice tantum denticulatis. *tab.* 77.-*Syn. Fil. brasil. n.* 131.

Caudex longissimus, repens, subramosus, fuscus, crassitie fili emporetici, squamis ferrugineis denticulatis tectus, et radiculis brevibus sparsis filiformibus hirsutis instru-

ctus. *Stipites* 5-8-pollicares, modo atro-purpurei, modo atro-fusci, trigoni, antice sulcati, in cavitate tantum villosi, interdum prorsus glabri, nitidi. *Frondes* octo-vel novempollicares, bipinnatae. *Pinnae* duae, tres, quatuor, vel quinque, alternae, pinnatae, 4-6-pollicares aut longiores. *Pinnulae* pollicares-vel sesquipollicares, alternae, brevissime petiolatae, extremae sessiles, utrinque glabrae, dichotome venosae, venis tenuissimis undique divergentibus: *pinnulae frondis sterilis* rhombeo-trapezoideae, apice attenuatae, falcatae, margine superiore et antice subincisae vel inciso-crenatae, laciniis s. crenis denticulatis, dentibus plerumque uncinatis; *frondis fertilis* grosse crenatae, crenis integerrimis fructificantibus, 8-10 in margine superiore, quinque vel sex in anteriore. *Sori* oblongi, in qualibet crena unicus. *Indusia* articulata, fusca, articulis pallidis. *Raches* triangulares, pilis paleaceis fuscescentibus aspersae.

Habitus *adianti jamaicensis lonchitidis falcatis foliis etc. Pluk. Phyt. tab.* 253. *fig.* 1.

Communissimum juxta fossas udas in viciniis *Rio de Janeiro.*

+ + + *Fronde triplicato-pinnata.*

ADIANTUM *truncatum*: frondibus triplicato-pinnatis subradicantibus, pinnis divaricatis, pinnulis ovato-lanceolatis acutis, basi oblique truncatis, quandoque subcordatis, stipite rachibusque teretibus glaberrimis. *tab.* 78. *f.* 1.-*Syn. Fil. brasil. n.* 133.

Filix ramosissima cum rachi saepe radicante, unius pedis ad sesquipedem longitudinem habens.

Frondes supradecompositae, *ramis* s. *pinnis* omnibus alternis divaricatis. *Stipes* et *raches* teretes, purpurascentes, nitidissimi, glabri, per siccitatem albicantes. *Pinnulae* alternae, petiolatae, ovato-lanceolatae, acuminatae, margine crenatae, oblique ad basim truncatae, interdum subcordatae, utrinque striatae e nervis radiato-dichotomis, subcoriaceae, glaberrimae, subtus oculo armato minutissime punctulatae. *Sori* oblongi; *Indusiis* sublunatis, integris, fuscis: *Capsulae* ferrugineae.

Species mihi exhibita a *D. Langsdorff*, qui affirmavit eam inveniri super *Corcovado*, mihi tamen videre non obtigit.

ADIANTUM *cuneatum*: frondibus triplicato-pinnatis, pinnulis oblongo-cuneatis sublobato-incisis, laciniis sterilibus serrulatis, soriferis emarginato-bifidis; laciniulis falcatis obtusis, indusiis subrotundo-reniformibus. *tab.* 78. *fig.* 2.

A. frondibus triplicato-pinnatis, pinnulis oblongo-cuneatis sublobato-incisis, laciniis sterilibus serrulatis, fructiferis emarginatis, indusiis subrotundo-reniformibus. *Willd. Sp. pl. V. p.* 450.

A. frondibus oblongo-ovatis supradecompositis (quadruplo pinnatis), pinnulis petiolatis cuneatis, subflabelliformibus et trapezoideis, obtusis, incisis, denticulatis, indusiis orbicularibus cordatis. *Langsd. et Fisch. icon. Filic. p.* 23. *tab.* 26.

Filix pedalis vel sesquipedalis, ramosissima, fragilis.

Caudex repens, ferrugineo-squamosus, crassitie pennae gallinaceae, radiculis filiformibus hirsutis instructus. *Stipes* 5-8 pollicaris erectus, subteres, nigro-purpurascens, nitidissimus, glaber, basi subsquamosus. *Frons* triplicato-vel subquadruplicato-pinnata, *ramis* alternis divaricatis. *Pinnulae* variae magnitudinis, idest *inferiores* bilineares, *superiores* fere trilineares, extremis etiam maioribus, alternae, pedicellatae, oblongo-cuneatae, membranaceae, tenerae, utrinque glabrae, laete virides, sublobato-incisae, duabus ad quinque laciniis quarum quaeque est emarginato-bifida, et *Soro* terminatur, lacinulis vel potius lobulis falcatis obtusis: *laciniae* pinnularum sterilium levissime denticulatae. *Indusium* subrotundo-reniforme, membranaceum, pallidum; margine integerrimo. *Capsulae* pallide ferrugineae.

Invenitur in locis scopulosis et humidis ad verticem montium *Estrellae*.

CHEILANTHES *Sw. Syn. Fil.* 5.

Gen. char. essent.

Sori punctiformes, discreti, marginales, tecti *indusiis* e squamis membranaceis distinctis, *interius* dehiscentibus vel e crenulis marginis ipsius replicatis.

CHEILANTHES *brasiliensis*: frondibus subtriplicato-pinnatis, pinnulis subfalcatis obtusis integris subdecurrentibus, rachi levissime alata stipiteque glaberrimo. *tab.* 75. *fig.* 2.-*Syn. Fil. brasil. n.* 134.

Filix sesquipedalis elegantissima.

Stipes semiteres atropurpureus, nitidus, glaberrimus, frondem versus, ut *rachis universalis* et *partialis*, tenuissime marginatus. *Frons* subtriplicato-pinnata, pinnis omnibus alternis subsessilibus. *Pinnae inferiores* subtripollicares, bipinnatae ad basim; *superiores* sensim breviores et simpliciter pinnatae, *ultimae* oblongae, basi sursum brevissime auriculatae. *Pinnae* secundariae basis pinnarum primariarum inferiorum octo linearum circiter longitudinem habentes, pinnatae, et ipsae quoque gradatim decrescentes ad extremitatem, ut *pinnae* primariae. *Pinnulae* minutissimae, oblongae, subfalcatae, obtusae, subdecurrentes, margine integerrimae, vel levissime subrepandae, utrinque glabrae, sub lente vitrea minutissime ruguloso-punctatae. *Sori* marginales, ovati-vel ovato-oblongi, minuti. *Indusia* membranacea pallida e margine orta. *Ca-*

psulae pallidae, nitidissimae, annulis ferrugineis. *Raches* atro-purpureae, nitidae, glabrae; *universalis* semiteres, *partiales* teretes.

Species nobis benevole exhibita ab optimo et eximio Amico nostro D. Swainson, cum *Rio de Janeiro* rediit Fernambuccum.

LONCHITIS *Linn.*

Gen. char. essent. Sw.

Sori lunulati sinubus frondis subjecti. *Indusio* e margine frondis inflexo, *interius* dehiscente.

LONCHITIS *repens*: frondibus triplicato pinnatis, pinnulis lineari-lanceolatis obtusis pinnatifido-sinuatis, laciniis obtusis integerrimis. stipite rachibusque aculeatis, caudice repente. *Willd. Sp. pl. V. p.* 464. *n.* 4. *Syn. Fil. brasil. n.* 135.

L. frondibus pinnatis, pinnis alternis sinuatis, surculis ramosis aculeatis. *Lin. Sp. pl. p.* 1536.

L. frondibus supradecompositis, pinnis attenuatis pinnatis, pinnulis obtusis crenatis, stipite rachibusque aculeatis *Sw. Syn. Fil. p.* 93.

Filix aculeata repens. *Plum. Fil. p.* 11. *tab.* 12.

Caudex repens. *Frons* 3-4 pedalis, triplicato-pinnata vel quadruplicato-pinnatifida. *Stipes* glaber, crassitie pennae anserinae, rachibusque aculeatis, superne angulato-sulcatis, subpubescentibus. *Pinnae primariae* alternae, bipinnatae, *infimae* suboppositae, sesquipedales, et longiores: *pinnae secundariae* pinnatae, *superiores* alternae, *inferiores* suboppositae subquinquepollicares. *Pinnulae* oblongo-vel lineari-lanceolatae, obtusae, pinnatifidae, inferiores octolineares oppositae, superiores sensim minores, alternae, summae confluentes; *laciniis* obtusissimis vel subtruncatis, utrinque obscure venulosis, margine levissime repandis. *Raches* et *costae* mediae hirsutulae, supra sulco leviter exaratae. *Sori* lunati in sinubus pinnularum laciniarumque marginibus. *Capsulae* ferrugineae. *Indusia* tenuissime membranacea, margine subcrenata.

Invenitur in Sylvis montanis prope *Tejiucca*.

DICKSONIA *L'Herit. Sert. angl.* 30.

Gen. char. essent. Sw.

Sori punctiformes, marginales subrotundi distincti. *Indusio* duplici, altero superficiario, *exterius* dehiscente; alio e margine frondis inflexo *interius* dehiscente.

DICKSONIA *cicutaria*; frondibus triplicato-pinnatis, pinnis attenuatis elongatis, pinnulis lanceolatis pinnatifidis, laciniis apice acute dentatis *Willd. Sp. pl. V. p.* 487. *n.* 14. (*excl. syn. Plum.*). *Syn. Fil. brasil. n.* 138.

D. frondibus supradecompositis, pinnulis oblongis inciso-pinnatifidis, laciniis ovatis serrulatis, infima majore. *Sw. Syn. Fil.* 137. *Fl. ind. occid.* 3. *p.* 1695.

Adiantum nigrum ramosum maximum, foliis seu pinnulis obtusis varie sed pulcherrime sinuatis et dentatis. *Sloan. Jam. H. I. p.* 96. *tab.* 37. *f.* 1. 2.

Frons subquinquepedalis, triplicato-pinnata, *pinnis* horizontalibus alternis, inferioribus sub-2-ped., superioribus gradatim brevioribus. *Stipes* bipedalis, crassitie pennae anserinae, tereti-angulosus, glaber. *Rachis* universalis levissime flexuosa, rigida, et sic etiam raches pinnarum primariarum scabriusculae, seu minutissimis et raris verrucis conspersae, supra canaliculatae, et tantum in cavitate aliquantum fere pubescentes: *raches* pinnarum secundariarum angulosae, alatae, levissime pubescentes. *Pinnulae* alternae, oblongae, obtusae, inciso-pinnatifidae, supra obscure virides, glabrae, infra venas fuscas pilis minutis paleaceis aspersas habentes: *inferiores* semipollicares; *superiores* sensim minores, extremae in caudam longiusculam et angustam coalescentes. *Laciniae* subfalcatae, apice crenatae vel obtuse dentatae. *Sori* subrotundi, solitarii in laciniarum sinubus, seminis brassicae magnitudinem et colorem habentes.

Invenitur in Sylvis humidis juxta rivulos prope *Mandiocca*.

DICKSONIA *flaccida*; frondibus triplicato-pinnatis, pinnis primariis et secundariis acuminatis, pinnulis ovato-oblongis acutis pinnatifidis, laciniis oblongis cuneatis margine superiore inaequaliter obtuse dentatis, fructiferis superioribus bidentatis, stipite rachibusque pubescentibus. *Willd. Sp. pl. V. p.* 488. *n.* 18.-*Syn. Fil. brasil. n.* 139.-*Schk. crypt. p.* 126. *tab.* 129.

Frons subquadripedalis, triplicato-pinnata. *Stipes* et *raches* semiteretes, e flavofusci, superne angulato-sulcati, pubescentes. *Pinnae* alternae; *primariae* distantes, 1-1 1/2 pedales; *secundariae* approximatae 3-4 pollicares, infimae plerumque oppositae. *Pinnulae* pariter alternae, rhombeo-oblongae, apice obtuse dentatae vel dentato-crenatae, ad basim cuneatae, decurrentes, laete virides, tenerae; *inferiores* inciso-pinnatifidae, 5-lineares; *superiores* sensim breviores, venis brevibus pilis paleaceis in utro-

que latere munitis. *Sori* minuti, subrotundi, solitarii ad latera interna laciniarum, sinubus vicinissimi. *Indusia* membranacea, pallida.

Invenitur cum sequenti in locis montosis prope *Tijucca*.

DICKSONIA *pilosiuscula*; frondibus bipinnatis, pinnulis oblongo-lanceolatis pinnatifidis, laciniis margine superiore inciso-dentatis, rachibus pilosiusculis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 484. *n.* 7.-*Syn. Fil. brasil. n.* 136.

Dicksonia (*pubescens*), frondibus subtripinnatis, foliolis lanceolatis, pinnis oblongis, laciniis ovatis dentatis, stipite glabro, rachi pubescente. *Schk. crypt. pag.* 125. *tab.* 131.

Frons triplicato-pinnata; *pinnis* omnibus alternis, primariis 10-16 poll., secundariis 2-3 pollicaribus. *Stipes* glaber, semiteres, supra canaliculatus. *Rachis* universalis et partiales levissime pubescentes, superne canaliculatae. *Pinnulae* alternae, rhombeo-oblongae, obtusissimae, inciso-dentatae, basi decurrentes, venis utrinque pilosiusculis. *Sori* minutissimi subrotundi, solitarii ad latera interiora laciniarum inter sinus et apices. *Indusia* membranacea fuscescentia.

Dicksonia tenera. *B. Presl Act. prag. I. p.* 188. est varietas praecedentis.

TRICHOMANES *Linn.*

Gen. char. essent. Sw.

Sori marginales, subexserti, capsulis columnulae setiformi adsidentibus, intra *Indusium* monophyllum urceolatum.

+ *Fronde pinnata.*

TRICHOMANES *pilosum*: frondibus pinnatis, pinnis oppositis linearibus obtusis decurrentibus sinuato-dentatis punctato-pellucidis utrinque margineque pilosis, soris terminalibus, stipite rachique pilosis. *tab.* 80. *fig.* 1. *Syn. Fil. brasil. n.* 140.

Filicula elegantissima; subquadripollicaris.

Stipes pollicaris aut longior, teres, glaber, fuscus, frondem versus compressiusculus pilosus. *Frons* simpliciter pinnata; *pinnis* oppositis sessilibus adnatis, superioribus coadunatis. *Rachis* compressa, pilosa. *Pinnae inferiores* semipollicares, duas lineas cum dimidio latae; *superiores* sensim minores, lineares, approximatae, obtusissimae, membranaceae, sub lente vitrea punctato-pellucidae, viridi-flavescentes, venosae, margine sinuato-dentatae vel crenatae, *venis* fuscescentibus utrinque pilosis. *Sori* unus,

plerumque duo, interdum tres, ad apicem cuiusque pinnae superioris. *Indusia* urceolata, *Receptaculum* subclavatum indusio duplo longius.

Species rarissima inventa super montes *Estrellae*.

TRICHOMANES *pyxidiferum*: frondibus pinnatis, pinnis oblongis obtusis pinnatifidis decurrentibus, laciniis subtripartitis linearibus obtusis integerrimis, infima pinnatifida, rachi stipiteque alatis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 508: *n.* 21.-*Syn. Fil. brasil. n.* 141. *Lam. illus. t.* 871. *f.* 2.-*Aubl. Gujan. II.* 966.

T. frondibus subbipinnatis, pinnis alternis confertis lobatis linearibus. *Lin. Sp. pl.* 1561.

T. frondibus acuminatis tripinnatifidis, laciniis linearibus obtusis, urceolis axillaribus terminalibusque subpedicellatis, costa stipiteque marginato. *Sw. Syn. Fil p.* 143. *Fl. ind. occ.* 3. *p.* 1739.

T. fronde alternatim subbipinnata, pinnis alternis confertis laciniatis, laciniis linearibus, perisporangiis calyciformibus bilabiatis. *Hedw. Fil.*

Filix pyxidifera. *Plum. Fil.* 74. *t.* 50. *f. E.*

Caudex filiformis, repens, ramosiusculus, hirsutus, niger. *Stipites* plures semipollicares ad pollicis altitudinem, aliquantum inter se distantes, membranaceo-marginati, compressiusculi, squamulosi ad basim. *Pinnae* alternae, dichotome pinnatifidae, decurrentes, glabrae; laciniis linearibus obtusis membranaceis, punctato-pellucidis sub vitrea lente. *Sori* solitarii, terminales, inter quos nonnulli apparent axillares propter brevitatem et positionem laciniarum, quarum ad extremitatem siti sunt. *Indusia* urceolata substantiae frondis; ore dilatato. *Receptaculum* filiforme indusio duplo vel triplo longius.

Invenitur supra et infra arbores, aeque ac in cavitatibus umbrosis rupium super Montes provinciae *Rio-Janeiro*.

+ + *Fronde bipinnata vel tripinnatifida.*

TRICHOMANES *mandiocanum*; fronde subdeltoidea bipinnata, pinnulis alternis decurrentibus pinnatifidis, laciniis lineari-lanceolatis acutis bifidisque incurvatis, receptaculis filiformibus recurvatis indusio calyciformi supra-axillari duplo longioribus. *v. tab.* 80, *fig.* 2. *Syn. Fil. brasil. n.* 142. *sub nom. Trichomanes rigidum* W.

Stipites plures 3-5-pollicares, rigidi, teretes, fusci, pilosiusculi, e radice fibrosa dura orti; fibris vel radiculis filiformibus crassis longiusculis rigidis fuscis. *Frondes* quadripollicares et ultra, subdeltoideae, bipinnatae, vel tripinnatifidae, concavae, rigidiusculae, per aetatem obscure-virides. *Raches universales* subteretes, sub lente vitrea tenuissime reticulatae, pilosiusculae; *partiales* compressiusculae, alatae. *Pinnae* appro-

ximatae, inferiores sesquipollicares vel etiam longiores suboppositae, superiores sensim breviores alternae. *Pinnulae* plerumque 4-5-lineares, alternae, pinnatifidae, glabrae, decurrentes: laciniae lineares vel lineari-lanceolatae, acutiusculae, integerrimae, incurvatae ad apicem, et saepe etiam bifidae. *Sori* siti aliquantum super axillas laciniarum inferiorum pinnularum. *Indusia* calyciformia, bilabiata. *Receptaculum* filiforme recurvatum indusio duplo vel triplo longius.

Invenitur in Sylvis opacis montium Estrellensium, praecipue prope torrentes, ad arborum radices.

TRICHOMANES *scandens*; frondibus triplicato-pinnatis, pinnulis oblongis pinnatifidis, laciniis linearibus obtusis, stipite rachique teretibus nudis, caudice scandente radicante. *Willd. Sp. pl. V. p.* 513. *n.* 31.-*Syn. Fil. brasil, n.* 143.

T. frondibus supradecompositis, foliolis alternis, pinnis alternis oblongis serratis. *Lin. Sp. pl.* 1562.

T. frondibus tripinnatifidis, laciniis obtusis integris, urceolis insertis, stipite rachideque teretibus, surculo scandente radicante. *Sw. Syn. Fil. p.* 144. *Flor. ind occ.* 3. *p.* 1737.

Adiantum scandens ramosissimum, laciniis retusis dissectum. *Plum. Fil. p.* 76. *tab.* 93. (bona).

Adiantum ramosum scandens, pinnulis s. foliis oblongis profunde laciniatis pellucidis. *Sloan. Jam. H. I. p.* 96. *t.* 58.

Caudex longissimus scandens, tortuosus, spisse et breviter villoso-radicosus, crassitie plumae gallinaceae aut crassior, qui arborum trunco adhaerens instar hederae, ad notabilem altitudinem pervenit. *Frondes* sparsae, 8-12-pollicares, sub-triplicato-pinnatae vel tripinnatifidae, breviter stipitatae, glabrae, saturate-virides. *Raches* universales partialesque teretes, fuscescentes, alatae. *Pinnae pinnulae*que alternae, profunde pinnatifidae; *laciniis* linearibus, obtusis, integris, rarius emarginato-bifidis, membranaceis, oculo armato punctato-pellucidis. *Sori* super axillas laciniarum siti, ad quarum latera decurrit membrana ex substantia omnino simili laminis, quae ipsas lacinias constituunt. *Receptaculum* setaceum, curvatum, indusio duplo vel triplo longius.

Invenitur frequenter in Sylvis opacis *Corcovado*, aeque ac in montibus *Estrellae*.

HYMENOPHYLLUM *Smith Act. taur.* 1791. *p.* 418. *t.* 9. *f.* 8.
Trichomanes spec. *Lin.*

Gen. char. essent. Sw.

Sori marginales, subexserti, capsulis columnulae setiformi insertis, intra *Indusium* bivalve.

+ *Fronde pinnata.*

HYMENOPHYLLUM *hirsutum*; frondibus pinnatis, pinnis linearibus alternis simplicibus bifidisve utrinque hirtis. *tab.* 80. *fig.* 3.

H. frondibus pinnatis utrinque hirtis, pinnis bifidis pinnatifidisve, laciniis linearibus retusis, rachi alata, stipite marginato hirto. *Willd. Sp. pl. V. p.* 517. *n.* 3.-*Lam. Dict. Enc. VIII. p.* 70. *n.* 27.-*Syn. Fil. brasil. n.* 144.

H. frondibus pinnatis lanceolatis laxis hirtis, costa marginata, pinnis simplicibus linearibus digitatisque. *Sw. Syn. Fil. p.* 146. *Fl. ind. occ.* 3. 1746.

Trichomanes (*hirsutum*) frondibus pinnatis, pinnis alternis pinnatifidis pilosis: *Lin. Sp. pl.* 1561.

Caudex setaceus, repens, fuscus, pilis simplicibus sparsis obsitus. *Frondes* a pollice 1 1/2 ad pollices 2 1/2 longae, pinnatae, brevissime stipitatae. *Stipites* teretes, pilis stellato-trifidis sparsis obsiti. *Pinnae* alternae, decurrentes, approximatae, e flavo virides, reticulato-pellucidae, utrinque pilis stellato-trifidis aspersae, plerumque simplices, lineares et obtusae, quaedam bifidae, quaedam trifidae cum laciniis pariter linearibus, et obtusis, 4-5 lineas circiter in longitudinem, fere 2/3 lineae in latitudinem habentes. *Sori* solitarii, terminales, indusio bivalvi ex eadem frondis substantia, et ut ipsa stellatis pilis contecto.

Invenitur cum sequenti super truncos arborum in Sylvis opacis prope *Mandiocca.*

HYMENOPHYLLUM *Boryanum*; frondibus bipinnatis, pinnis infimis et terminalibus minoribus pinnatifidis, laciniis linearibus obtusis, infima bifida, ciliatis, venis hirtis, rachi stipiteque alatis ciliatis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 518. *n.* 6.-*Syn. Fil. brasil. n.* 145. *vid. tab.* 80. *fig.* 4.

Hymenophyllum hirsutum. *Bory in litt.*

Caudex repens crassitie fili serici, radiculis simplicibus sparsim munitus, et pilis simplicibus conspersus. *Stipites* 1/2 - 1 pollicares, teretes, pilis stellato-quinquefidis obsiti, frondem versus alati. *Frondes* 3-4-pollicares, subbipinnatae vel bipinnatifidae, pinnis alternis semipollicaribus pollicaribusque, inferioribus et superioribus sensim bre-

vioribus: *laciniae* vel potius *pinnulae* alternae, plerumque simplices, lineares, obtusae, margine pilis stellato-quinquefidis ciliatae, ex flavo virides, reticulato-pellucidae, si vitrea lente inspiciantur. *Sori* solitarii, terminales. *Indusium* ovato-subrotundum, bivalve, valvulis margine ciliatis ut margine pinnularum. *Raches* alatae, ciliatae, et aeque ac costae pinnularum pilis stellato-quinquefidis conspersae. Figura plumierana (*tab.* 50. *fig. B.*) per errorem relata a Willdenow in suo *Hymenophyllo hirsuto*, videtur habenda potius esse ut varietas praesentis speciei, quoniam non superficies pinnularum, ut in illo, sed soli margines ipsarum sunt in hoc stellatis pilis muniti.

HYMENOPHYLLUM *ricciaefolium*: frondibus pinnatis, pinnis secundis, pinnulis inferioribus pinnatifidis, superioribus tripartitis, laciniis linearibus obtusis, soris terminalibus, indusiis obovatis, rachi alata, stipite marginato. *Willd. Sp. pl. V. p.* 531. *n.* 32. *Syn. Fil. brasil. n.* 146.

H. frondibus pinnatis, pinnulis decompositis decurrentibus, soris terminalibus. *Bory in litt.*

Adiantum (*tenellum*) frondibus bipinnatis, pinnulis lobatis, lobis oblongis *Jacq. Collect.* 3. *p.* 287. *t.* 21. *fig.* 3.

Caudex repens, filiformis, niger, glaber, *radiculis* brevibus tortuosis instructus. *Stipites* fere semipollicares, filiformes, marginati. *Frondes* 1 1/2-pollicares, bipinnatae, glaberrimae; *pinnis pinnulis*que alternis, *laciniis* linearibus obtusis vel levissime emarginatis.

Invenitur ad verticem montium *Estrellae*, super arborum truncos inter muscum, ubi nullum individuum cum fructificatione videre potui.

HYMENOPHYLLUM *rupestre*; frondibus lineari-lanceolatis subtripinnatifidis glaberrimis, laciniis linearibus obtusis subemarginatisve, caudice filiformi repente longissimo glabro. *tab.* 81.-*Syn. Fil. brasil. n.* 147. sub nomine *Hymenoph. axillare* W.

Filix Hymenophylli sericei facie, tota glaberrima, pendula.

Caudex filiformis, longissimus, repens, rigidus, glaber. *Frondes* numerosae, sparsae, subsessiles vel brevissime stipitatae, 8-12-pollicares, bipinnatae vel tripinnatifidae, pendulae. *Stipites* brevissimi, et, ut *raches*, teretes, fusci, alati: *alae* integerrimae, structura et consistentia laciniarum. *Pinnae* alternae, pollicares aut longiores, decurrentes; *laciniis* linearibus, brevibus, latiusculis, integerrimis, obtusis vel levissime emarginatis, membranaceo-pellucidis, reticulatis si lente vitrea inspiciantur.

Invenitur in rupibus saxosis, umbrosis et humidis amoenissimi montis, quem nuncupant *Gavia*, non longe a celebri lapsu aquae in *Tijucca*, ut etiam super *Corcovado*, et nullum fructificationis indicium inspicere potui inter immensam copiam individuorum, quae in montibus praedictis inveni.

2. Exannulatae, vel capsulis annulo articulato elastico carentibus.

a. Capsulae uniloculares medio linea rima longitudinali instructae. (Filices spurie gyratae *Sw.*, Schismatopterides *Willd.*, Gleicheneae *R. Brown*).

HYDROGLOSSUM *Willd. Sp. V. p.* 77.

Ophioglossi sp. *Lin.*, Ugena *Cav.*, Ramondia *Mirb.*, Lygodium *Sw.* dontopteris et Gisopteris *Bernh.*,

Gen. char. essent.

Spicae unilaterales. *Capsulae* biseriales latere interiori a basi ad verticem dehiscentes. *Indusium* squamiforme quamlibet capsulam obtegens.

HYDROGLOSSUM *volubile*: caule flexuoso scandente, frondibus conjugatis pinnatis, pinnis alternis longe lanceolatis, fertilibus brevioribus obtusissimis subcordatis, extrema bifida. *tab.* 81.

H. caule flexuoso scandente, frondibus conjugatis pinnatis, foliolis oblongo-lanceolatis, sterilibus repandis, basi rotundatis subcordatis. *Willd Sp. V. p.* 78.-*Syn. Fil. brasil. n.* 18.

Lygodium (*volubile*) caule tereti, frondibus pinnatis, pinnis omnibus oblongo-lanceolatis obtusis serrulatis. *Sw. Syn. Fil. p.* 152.

Lygodium scandens. *Schk. crypt. t.* 138.

Osmunda (*scandens*) caule scandente, frondibus pinnatis oppositis, pinnis oblongis, acutis, suboppositis. *Aubl. Gujan. II. p.* 961.

Phyllitidi multifidae affinis filix scandens in pinnas tantum divisa, oblongas, angustas, non crenatas. *Sloan. Jam. H. I. p.* 68. *tab.* 46. *f.* 1.

Caulis flexuosus, teres, laevigatus, stramineus, glaber. *Frondes* geminatae, pinnatae; *inferiores* steriles; *superiores* fructiferae. *Foliola* s. *pinnae* alternae, oblongo-lanceolatae, inaequaliter serrulatae, glabrae, quinque ad novem in singulis frondibus: *pinnae* frondium sterilium 6-8-pollicares, octo ad decem lineas latae, ad basim levissime cuneatae, interdum rotundatae; fructiferarum 2-3-pollicares, obtusissimae, basi saepe dilatato-cordatae. *Raches* universales et partiales hirsutae. *Spicae* numerosissimae, subtrilineares.

Invenitur frequenter in locis montosis, ubi plantis ipsi proximis adhaeret, et saepe ad altitudinem decem pedum crescit.

ANEMIA *Sw. Syn. Fil. p.* 6. *et* 155.
Osmundae spec. *Lin.*

Gen. char. essent. Sw.

Capsulae subturbinatae, ramis spicae compositae insidentes sessiles nudae, *absque indusio*, superne concentrice striatae, altero latere hiantes.

+ *Fronde pinnata.*

ANEMIA *longifolia*: fronde pinnata, pinnis oblongo-lanceolatis acuminatissimis denticulatis glabris, stipite rachique hirtis. *tab.* 8.

A. phillitidis var. *Langsd. et Fisch. ic. Fil.* 24. *t.* 28?

A. hirta. *Syn. Fil. brasil. n.* 20.

Radix fibrosa, fibrillis fusco-lanuginosis. *Stipes* 1-1 1/2-pedalis, semiteres, antice trisulcatus, pilis longiusculis articulatis rufis tectus. *Frons* 6-9-pollicaris, impari-pinnata. *Pinnae* alternae vel suboppositae, oblongo-lanceolatae, acuminatissimae inaequaliter et subtiliter denticulatae, glaberrimae; costa media utrinque ferrugineo-hirta: *pinnae* infimae quinquepollicares vel longiores, pollicem latae vel latiores, brevissime pedunculatae, basi rotundatae; reliquae sensim breviores; subsessiles, basi inaequaliter rotundato-cuneatae, ultima seu impar subquadripollicaris. *Rachis* stipiti fere simillima. *Spicae* geminae, paniculatae, fronde longiores; *pedunculis* longissimis, obtusangulo-quadrangularibus, villosis. *Capsulae* minutissimae, turbinatae, compressiusculae.

ANEMIA *longifolia* (β.) *laevis*: fronde pinnata, pinnis oblongo-lanceolatis acuminatissimis denticulatis, stipiteque glabris.

A phyllitidis *Willd. Sp. V. p.* 89?-*Syn. Fil. brasil. n.* 19.

Osmunda lanceolata et subtiliter serrata. *Plum. Fil. p.* 133. *t.* 156?

Invenitur cum praecedenti in Sylvis montosis prope *Rio de Janeiro*, a qua solum differt ob stipitem et rachim glabram; quod discrimen aetas forsitan affert.

ANEMIA *fraxinifolia*: fronde pinnata, pinnis ovato-lanceolatis crenulato-dentatis vel inaequaliter denticulatis glabris, apice attenuatis, stipite angulato-subtetragono rachique pilis caducis obsitis. *tab.* 8. *bis.*-*Syn. Fil. brasil. n.* 21.

Radix fibrosa, fibris fuscis ferrugineo hirtis. *Stipes* octo-pollicaris, antice trisulcatus, subtetragonus, pilis raris ferrugineis caducis tectus. *Frons* impari pinnata, longitudine stipitis. *Pinnae* oppositae, sessiles, ovatae-vel ovato-lanceolatae, acuminatae,

inaequaliter denticulatae, utrinque glabrae: *pinnae inferiores* 2-2 1/2-pollicares, pollicem fere latae; *superiores* sensim minores. *Rachis* stipiti simillima. *Spicae* longissime pedunculatae, geminae, fronde longiores; pedunculis obtusangulo-quadrangularibus, villosiusculis. *Capsulae* generis.

Invenitur in collibus prope *Rio de Janeiro.*

ANEMIA *radicans* fronde pinnata, pinnis sessilibus, cultrato-subfalcatis obtusissimis denticulatis horizontalibus, infimis reclinatis, rachi hirta prolifera. *tab.* 10.-*Syn: Fil. brasil. n.* 22.

Radix fibrosissima, fibrillis lanuginosis fuscis. *Stipites* 5-9-pollicares, antice trisulcati, subquadrangulares, villosi. *Frondes* 9-10-pollicares, pinnatae, *rachi* terminatae plus minus producta, quae se inclinans et humo adhaerens radices agit, et novam plantam format. *Pinnae* oppositae, sessiles, approximatae, trapezio-oblongae, subfalcatae, vel cultrato-subfalcatae, apice rotundatae, glabrae, basi superiore truncatae, inferiore cuneatae, margine superiore et anteriore denticulatae: *pinnae inferiores* pollicem circiter longae, quatuor vel quinque lineas latae, horizontales, imae reclinatae; *superiores* sensim minores, plerumque alternae, et rariores. *Spicae* geminae fronde breviores: *pedunculi* obtusangulo-quadrangulares: *Raches* longitudinaliter trisulcatae, pilis densis ferrugineis tectae.

Frequentissima in saltibus montosis prope *Rio de Janeiro*, praesertim super *Corcovado.*

ANEMIA *radicans* (β.) pinnis latioribus et obtusioribus. *tab.* 11.-an species distincta?

Differt a praecedenti: *Stipites rachesque* graciliores et pallidiores; *pinnae* rariores, latiores et breviores; *frons* fructificans perraro *rachi* sed *pinnula* impari terminata, et *spicis* brevior.

Invenitur in Sylvis quae parvum collem prope *Matacavallos* cingunt, ubi tantum hanc plantam animadverti.

ANEMIA *mandiocana*: fronde impari-pinnata, pinnis sessilibus cultrato-subfalcatis acutiusculis denticulatis ciliatis, rachi lana ferruginea tecta. *tab.* 9. *fig.* 1.-*Syn. Fil. brasil. n.* 23.

Differt ab *Anemia radicante*: frondes longiores et nunquam a *rachi* producta terminatae, neque radicantes; *Stipes* glaber; *Pinnae*, longiores cultrato-subfalcatae, acutiusculae, per lentem pilosiusculae, margine crenulato-dentatae subciliatae.

Invenitur in Sylvis opacis et humidiusculis in Agro Mandiocano, ubi est frequentissima.

ANEMIA *collina*: fronde pinnata, pinnis oblongis cultrato-subfalcatis obtusis denticulatis hirtis, basi cuneatis, rachi stipiteque lana ferruginea plerumque fulva tectis. *tab.* 12.-*Syn. Fil. brasil. n.* 24.

Radix fibrosa, fibrillis fuscis, ferrugineo-lanuginosis. *Stipites* plures 3-6-pollicares, antice longitudinaliter trisulcati, subquadrangulares, pilis densissimis longis articulatis fulvis utrinque tecti, ut *raches*. *Frons* subquinquepollicaris, impari-pinnata. *Pinnae* sessiles, suboppositae, vel alternae, 1-1 1/2-pollicares, latitudine quinque-lineares, cultrato-subfalcatae, vel trapezio-oblongae, obtusae, viridi-lutescentes, utrinque hirtae, margine superiore et anteriore crenulato-dentatae, basi inaequaliter cuneatae integerrimae; extrema seu impar sublobata. *Rachis* stipiti simillima. *Spicae* geminae, nunc longiores, nunc breviores fronde: *pedunculi* obtusangulo-quadrangulares, villosi. *Capsulae* generis.

Invenitur in collibus prope *Rio de Janeiro*.

ANEMIA *repens*: fronde pinnata, pinnulis cuneatis dentato-incisis villosis saepe profunde laciniatis, stipite rachique hirsutis, caudice longo crasso, modo sub terrae superficie prorepente. *tab.* 9. *fig.* 2.-*Syn. Fil. brasil. n.* 25.

Caudex repens, crassus, hirsutus, intime humo adhaerens per numerosas longasque radices fuscas et villosas. *Stipites* et *raches* semiteretes, graciles, antice trisulcatae, hirsutae; *stipites* frondium sterilium fructificantium breviores. *Frondes* impari pinnatae, interdum bipinnatifidae, *pinnis* alternis vel suboppositis, oblongis, obtusissimis, inciso-dentatis, saepe profunde laciniatis (*v. t.* 9. *f.* 2. *b.*) vel pinnatifidis, utrinque villosis, basi cuneatis integerrimis. *Spicae* geminae fronde longiores: *pedunculi* subquadrangulares, villosiusculi. *Capsulae* generis, albidae, nitidissimae.

Invenitur in rimis veterum murorum, et praesertim juxta aquaeductum, qui a monte *Corcovado* ad urbem *Rio de Janeiro* aquam defert.

Anemia hirsuta Willd., sive *Lonchitis hirsuta florida* Plumierana nihil est, mea sententia, nisi alia pro varietate situs et humi nostrâ major, ac diversa.

+ + *Fronde bipinnata.*

ANEMIA *flexuosa*: fronde bipinnata triangulari pubescente, pinnulis oblongis obtusis decurrentibus subintegerrimis, rachi flexuosa, caudice repente brevissimo, densissima et longa lana fulva tecto. *tab.* 13.

A. fronde bipinnatifida triangulari pubescente, laciniis oblongis obtusis subintegerrimis, rachi flexuosa, stipite pubescente. *Willd. Sp. pl. V. p.* 93. *n.* 10.-*Syn. Fil. brasil. n.* 27.

A. fronde bipinnatifida triangulari, laciniis oblongis obtusis subintegris, rachide flexuosa, stipite fulvo-hirto. *Sw: Syn. Fil. p.* 157.

Osmunda (*flexuosa*) scapis caulinis geminis, fronde pinnata, pinnis pinnatifidis, caule subhirto. *Lam. Enc. meth.* 4. *p.* 610.

Caudex brevissimus, repens, crassus, longa et densissima lana fulva tectus, radiculis longiusculis fuscis villosis instructus. *Stipites* 5-10 pollicares, antice trisulcati, subtetragoni, villosissimi, s. pilis articulatis fulvis aut ferrugineis utrinque tecti. *Frondes* 6-9-pollicares, triangulares, bipinnatae. *Pinnae* inferiores suboppositae, superiores alternae, pinnatae. *Pinnulae* alternae, adnatae, decurrentes, striato-venosae, margine leviter repandae, vel denticulatae, utrinque pubescentes. *Rachis universalis* stipiti simillima; *partiales* utrinque convexae, flexuosae. *Spicae* geminae, ramosae, breviter pedunculatae, longitudine fere frondis: *pedunculi* subquadrangulares, hirsuti. *Capsulae* secundae, in duos ordines dispositae.

Invenitur in asperis et scopulosis montibus prope *Rio de Janeiro*.

MERTENSIA *Willd. Act. Holm. An.* 1804. *p.* 165.

Acrostichi spec. *Lin.*
Polypodii *sp. Thumb.*

Gen. char. essent. Sw.

Capsulae subsessiles, cingulo transversali gyrum mentiente praeditae, semibivalves, in *soris* subrotundis superficialibus sparsis confertae. *Indusium* nullum.

MERTENSIA *emarginata*: stipite dichotomo vel trichotomo nudo glabro, frondibus lanceolatis pinnatis extimis ad stipitem decurrentibus, pinnis linearibus vel lineari-lanceolatis emarginatis, subtus glaucis, venis pilosiusculis. *tab.* 6.

M. (*glaucescens*) stipite dichotomo nudo, frondibus pinnatis, superioribus ad stipitem decurrentibus, pinnis emarginatis subtus glaucis, venis subpilosis. *Willd. Sp. pl.* V. *p.* 72. *n.* 3.-*Syn. Fil. brasil. n.* 15.

M. (*brasiliana*) stipite dichotomo glabro; ramis extimis ancipite compressis; frondibus pinnatis; pinnis linearibus subobtusis subtus glaucis. *Desv journ. de bot. Juin* 1813. *p.* 268.

M. dichotoma. *Langsd. et Fisch. icon. Fil. p.* 29. *t.* 29. (*non Willd.*).

Filix subtripedalis et ultra.

Caudex horizontalis, repens, tortuosus, longissimus, lignosus, crassitie fere pennae corvinae aut crassior, radiculis brevibus raris instructus. *Stipites* distantes, erecti,

cylindracei, laevigati, flavescentes, dichotomi, interdum trichotomi, bifurcationibus compressis subpubescentibus: *rami* longitudinaliter in utroque latere linea saliente notati. *Frondes* geminatae, 5-8-pollicare, oblique lanceolatae, pinnatae, apice attenuatae. *Pinnae* alternae, horizontales, octo lineas circiter longae, unam aut unam cum dimidia lineam latae, lineares vel lineari-lanceolatae, approximatae, apice emarginatae, basi dilatato-coadunatae, supra viridi-flavescentes, glaberrimae, subtus glaucae et super earum venas pilis stellatis rufescentibus adspersae, qui interdum omnino desunt. *Sori* biseriales in qualibet pinnula. *Capsulae* generis, paucae, ferrugineo-clarae. *Raches* anterius planae, posterius convexae vel rotundatae, utrinque glabrae. *Frondes* terminales sunt non raro decurrentes. Axillis, vel dichotomiis stipitis parva gemma fuscescente pilosa instructis.

MERTENSIA *emarginata* (β.) pinnis brevioribus, subtus pilis densioribus.

M. pectinata. *Langsd. et Fisch. p.* 26. *t.* 30. (*non Willd.*)

Differt a praecedenti: *Pinnae* strictiores, acuminatae; *pinnulae* breviores, subtus pilis densioribus obsitae.

Haec et sequens species inveniuntur in omnibus locis montosis proximis *Rio-Janeiro.*

MERTENSIA *decurrens*; stipite di-plerumque tri-chotomo tereti fuscescente, frondibus pinnatis, longissimis, decurrentibus; pinnis linearibus acutis, subtus albo-tomentosis, apice subbarbatis. *tab.* 7.

M. (*ferruginea*) stipite dichotomo; frondibus pinnatis longissimis, pinnis subtus tomentosis linearibus, apice barbatis. *Desv. journ. de bot. Juin* 1813. *p.* 267?-*Syn. Fil. brasil. n.* 17.

Caudex ut in praecedenti specie. *Stipites* distantes, 2-3-pedales, teretes, plerumque trichotomi, fusci, minutis paleis contecti aeque ac lanugine tenuissima, quae tactu facile aufertur, quapropter interdum glabri apparent. *Frondes* geminatae, longissime lanceolatae, pinnatae, apicem versus attenuatae, undecim circiter pollices longae, decurrentes. *Pinnae* alternae, lineares, basi dilatatae subcoadunatae, apice acutiusculae saepe aliquantulum barbatae, supra glabrae, obscure virides, subtus albida lanugine contectae; inferiores 11-lineares, superiores sensim minores. *Sori* ut in Specie praecedenti. *Raches* utrinque convexae, glabrae.

b. Capsulae multiloculares, omni vestigio rimae carentes. (Filices agyratae *Sw.*, Poropterides *Willd.*).

MARATTIA *Sw. Prod. Fl. ind. occ. p.* 128.
Myriotheca *Juss. Gen. p.* 15.

Gen. char. essentialis.

Capsulae ovales, sparsae, initio clausae, demum *loculis* duplici serie superne hiantibus, bipartibiles.

+. *Fronde Pinnata.*

MARATTIA *fraxinea*: frondibus bipinnatis, pinnis oppositis alternisque, pinnulis lanceolatis acuminatissimis serratis rachibusque glaberrimis. *tab.* 82.

M. frondibus bipinnatis, pinnis oppositis, pinnulis lanceolatis acuminatis serratis, basi cuneatis, rachibus laevibus nudis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 66. *n.* 3.-*Syn. Fil. brasil. n.* 12.

M. frondibus bipinnatis, pinnis oppositis, pinnulis oblongo-lanceolatis serratis, rachibus laevibus. *Sw. Syn. Fil p.* 168.

M. rachibus laevibus simplicibus, foliolis lanceolatis serratis omnibus distinctis. *Smith icon. ined.* 48.

Myriotheca (*fraxinifolia*) fronde bipinnata, pinnis oppositis, pinnulis ovato-oblongis. *Bory it. I. p.* 266.-*Lam. illustr. t* 866

Caudex erectus, glaber. *Frondes* 3-4-pedales, bipinnatae. *Pinnae* alternae vel oppositae, 16-pollicares, plerumque impari-pinnatae. *Pinnulae* alternae, lanceolatae, acuminatissimae, 3-4-pollicares, plusquam semipollicem latae, margine acute serratae, utrinque glaberrimae, venis simplicibus bifidisve fuscescentibus. *Capsulae* ovatae, margine integrae. *Stipes* glaber, antice trisulcatus, basi squamulosus. *Rachis universalis* stipiti simillima; *partiales* apicem versus alatae, alis tenuissimis integerrimis.

Invenitur cum sequenti in umbrosis, et humidis Sylvis *Corcovado*, praesertim apud torrentes, ubi non raro ad hominis staturam crescunt.

+ +. *Fronde tripartita, ramis bi-vel tripinnatis.*

MARATTIA *alata*: fronde supradecomposita, rachi subsquamulosa, partialibus alatis, pinnulis inciso-serratis. *tab.* 83. *et* 84.

M. fronde bipinnata, rachi subsquamulosa, partialibus alatis foliolis acute serratis. *Sw. Fl. ind. occ.* 3. *p.* 1581. *prodr.* 128.-*Willd. Sp. V. p.* 66.

M. rachibus squamosis: partialibus alatis, foliolis acute serratis. *Smith. icon. ined.* 46.

MARATTIA *alata* β. *laevis*. rachibus squamulis carentibus.

Marattia (*laevis*) frondibus bipinnatis, pinnulis apice obtuse serratis, rachibus laevibus, partialibus alatis. *Sw. Syn. Fil. p.* 168. *Willd. Sp. V. p.* 66.-*Syn. Fil. brasil. n.* 11.

M. rachibus laevibus, partialibus alatis, foliolis apice obtuse serratis, summis confluentibus. *Smith icon. ined.* 47.

Caudex pedalis vel bipedalis, erectus, glaber. *Frondes* 2-3-pedales, tripartitae, ramis bi-vel tri-pinnatis. *Pinnae* omnes alternae, primariae dimidium pedem ad duos pedes longae, *secundariae* 3-4-pollicares, superiores sensim breviores. *Pinnulae* pariter alternae, glaberrimae, venosae, venulis bifurcis, fuscescentibus: *inferiores* 8-10-lineares, oblongo-lanceolatae, pinnatifidae, laciniis inciso-dentatis; *superiores* 4-6-lineares, ovato-lanceolatae, inciso-serratae, serraturis plus vel minus acutis, saepe obtusis; *impar* elongata, acuminata. *Capsulae* ovales, solitariae aut binae in lobo pinnularum, singula venulae propriae insidens, margine integerrimae. *Raches* pinnarum primariarum anterius trisulcatae, posterius rotundatae, plerumque squamulis raris lineari-lanceolatis membranaceis fusco-reticulatis adspersae; secundariarum compresso-subtetragonae, superne sulco leviter exaratae, alatae, alis substantiae pinnularum, aveniis, integerrimis, apicem versus latioribus, et ad earum insertionem contractis. *Stipites* plusquam pedales, antice longitudinaliter trisulcati, glabri.

DANAEA. *Smith Act. taur.* 1791. *T. V. p.* 420. *t.* 9. *f.* 11.

Asplenii spec. *Lin.*

Gen. char. essent. Sw.

Capsulae oblongo-lineares, transverse et parallele frondi subimmersae, semper apertae, multiloculares, *loculis* duplici serie superne dehiscentibus. *Indusium* nullum.

DANAEA *geniculata*; fronde pinnata, pinnis oppositis subsessilibus, frondis sterilis lanceolatis integris subundulatis, fructificantis lineari-lanceolatis subdenticulatis, stipite geniculato. *tab.* 5. *fig.* 1.-*Syn. Fil. brasil. n.* 14.

Caudex subpollicaris, glaber, radicibus simplicibus longissimis horizontalibus glabris, crassitie fili emporetici instructus. *Frondes* 1 1/2-2-pedales, pinnatae. *Pinnae* frondium sterilium oppositae, subsessiles, lanceolatae, acuminatae, margine leviter repando-undulatae, utrinque glabrae, quinquepollicares, pollicem circiter latae, supra obscure-

virides, subtus pallidiores, nervis tenuissimis simplicibus bifidisve transversalibus parallelis instructae: *pinnae* frondium fructificantium minores, paullo angustiores, apice levissime denticulatae; earum costa squamulis scariosis rufescentibus plerumque stellatis adspersa. *Capsulae* lineares, parallelae, totam pinnarum latitudinem ad marginem usque occupantes. *Stipes* frondium sterilium teres, basi antice sulcatus, atropurpureus, glaber, supra medium geniculatus; *stipes* frondium fertilium unum, interdum duos habet nodos basim versus.

Frequens crescit in sylvis humidis ad torrentes prope *Mandioccam*.

DANAEA *paleacea*; fronde pinnata, pinnis lanceolatis subsessilibus, frondibus sterilibus alternis, fructificantibus oppositis, stipite squamis paleaceis lanceolatis sparsis obsito. *tab.* 5. *fig.* 2.

D. (*longifolia*) fronde pinnata, rachi subsquamosa nodosa, nodis subobliquis; pinnis subsessilibus lanceolatis acutis, acumine serrato, sterilibus lanceolatis integerrimis. *Desvaux journ. de Botan., Juin* 1813. *p.* 267?-*Syn. Fil. bras. n.* 13.

Caudex . . . . . *Frondes* 3-4-pedales, pinnatae. *Pinnae* frondium sterilium alternae, longe lanceolatae, acuminatae, venoso-reticulatae, glabrae, apicem versus serrulatae. *Stipes* ad latera sulcatus, paleaceus; *paleae* lanceolato-acuminatae. *Pinnae* frondium fertilium oppositae, lineari-lanceolatae, subsessiles, basi paullo oblique cordatae, apice levissime denticulatae: earum stipiti insertiones parvis inflationibus instar nodorum notatae.

Crescit haec filicis species in sylvis opacissimis montium *Estrellae*, ubi ad altitudinem quatuor ad quinque pedum pervenit.

SECTIO III.

LYCOPODINEAE *Sw. et de Cand.*

Stachyopterides *Willd.*, Filices *Gm.*,
Musc. spec. *Lin.*, Musci spurii *Juss.*

LYCOPODIUM *Linn.*

Gen. char. essent. Sw.

Capsulae axillares sessiles subsolitariae uniloculares, aliae (Antherae quorundum) reniformes, elastice dehiscentes, bivalves, farina (semina) repletae; aliae bi-tricoccae, bi-trivalves, corpusculis (seminibus?) 1-6 globosis.

* Fructificationes in axillis foliorum undique sessiles; Capsulis uniformibus fariniferis. (*Plananthus* Pal. Beauv., *Huperzia.* Bernh.).

LYCOPODIUM *filiforme*: foliis imbricatis sparsis linearibus acutis, caule filiformi dichotomo divaricato pendulo, capsulis subrotundo-reniformibus. *tab.* 4. *bis. fig.* 1.

L. foliis sparsis quadrifariis lineari-subulatis adpressis, caule filiformi dichotomo divaricato. *Sw. Syn. Fil. p.* 174. *et* 398. *tab. IV. fig.* 3.-*Willd. Sp. pl. V. p.* 54. *n.* 91.-*Syn. Fil. brasil. n.* 10.

Caulis 1-2-pedalis, filiformis, dichotomus pendulus, ramis divaricatis. *Folia* linearia, acuta, integerrima, supra concava vel canaliculata, subtus convexa, basim versus carinata, utrinque glabra, imbricata, sparsa, raro semiverticillata, subdecurrentia, per lentem striato-punctata: *folia* squamarum vice latiora. *Capsulae* pallidissimae, subrotundo-reniformes, solitariae in axillis foliorum.

Invenitur ad radices montium *il Frate* et *Corco-secco*, cum *Aspidio pendulo* immixtum.

LYCOPODIUM *mandiocanum*: foliis sparsis lineari-acuminatis incurvato-patulis canaliculatis, caule erecto dichotomo duro crassitie pennae anserinae, ramis incurvatis, capsulis axillaribus, radicibus tomentosis. *v. tab.* 4.-*Syn. Fil. brasil. n.* 8.

Caulis sub-bipedalis erectus, perfecte dichotomus, rigidissimus, crassitie pennae anserinae vel crassior, ramis basi paullo incurvatis, axillis obtusissimis. *Folia* sparsa,

linearia vel lineari-lanceolata, acuminatissima, integerrima, incurvata, patula, supra canaliculata, subtus carinata, utrinque glaberrima. *Capsulae* pallidae, solitariae in axillis foliorum, compressae, reniformes.

Pulcherrima haec et rara Lycopodii species perquam similis est *Lycopodio dichotomo* Swartziano, cui forsan ut varietas jungi posset.

Invenitur in opacissimis Sylvis *Mandiocae*, in nuda humo, non vero in arborum truncis, ut Swartziana species.

LYCOPODIUM *rigidum*: foliis octofariis inferioribus reflexis, superioribus patentissimis lineari-lanceolatis acuminatis serrulatis, caule dichotomo erecto striato, ramis fastigiatis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 5. *n.* 86. *Syn. Fil. brasil. n.* 9.

L. foliis sparsis sex-s. octofariis lineari-lanceolatis reflexis, inferioribus squarrosis caule dichotomo. *Sw. Syn. Fil. p.* 176.

L. caule dichotomo, erecto; foliis octofariam imbricatis, lanceolato-linearibus, acuminatis, serrulatis, rigidis, patentibus, inferioribus reflexis. *Humb. et Bompl. N. Gen I. p.* 33. *n.* 11.

Lycop. (*squarrosum*) foliis sparsis octofariis undique reflexis, inferioribus squarrosis rigidis, caule dichotomo fastigiato, fructificationibus sparsis. *Sw. Fl. ind. occid.* 3. *p.* 1571. *Prodr.* 137.

Lycop. (*bifidum*) foliis octofariis, inferioribus reflexis, superioribus patentissimis lineari-lanceolatis acuminatis spinuloso-serrulatis, caule dichotomo adscendente, ramis laxis elongatis fastigiatis. *Willd. Sp. V. p.* 53. *n.* 87.

Muscus squamosus maximus coridis foliis reflexis. *Plum. Fil. p.* 144. *tab.* 166. *A.*

Selago coridis folio. *Dill. H. Musc. p.* 440. *tab.* 57. *fig.* 4.

Caulis semipedalis, vel pedalis, erectus, dichotomus. striatus, crassitie fili emporetici. *Folia* sparsa, lineari-lanceolata, acuminata, serrulata, reflexa, plana, approximata, utrinque glabra, nitida, per lentem minutissime striata. *Capsulae* axillares, sparsae, solitariae in axillis foliorum, compresso-reniformes, pallide luteae.

Invenitur frequens in montibus *Estrellae*.

* Fructificationes dispositae in spicam terminalem, sessilem aut pedunculatam, et distinctae vel divisae squamis seu bracteis foliis multum dissimilibus.

+ Capsulis uniformibus fariniferis. (*Lepidotis*. Pal. Beauv.)

LYCOPODIUM *cernuum*: foliis sparsis curvatis, caule ramosissimo, spicis cernuis, squamis adpressis membranaceis serrato-ciliatis. *Sw. Syn. Fil. p.* 178.-*Willd. Sp. V. p.* 30. *n.* 36.-*Syn. Fil. brasil. n.* 4.

L. caule erecto, ramosissimo; foliis subulatis, densis, inflexis; spicis terminalibus, sessilibus, oblongo-cylindraceis, cernuis; squamis ovatis, acuminato-subulatis, ciliatis. *Humb. et Bompl. N. G. I. p. 33. n. 9.*

L. foliis sparsis curvatis, caule ramosissimo, spicis nutantibus. *Lin. Sp. pl.* 1566. *Aubl. gujan. II.* 967.

L. erectum ramosissimum, spicis ovatis sessilibus nutantibus, *Lin. Fl. Zeyl. pag.* 387.

L. zeylanicum erectum ramosissimum. *Burm. Fl. Zeyl. p.* 144. *t.* 66.

L. frutescens capillaceum crispum, spicis brevibus nutantibus. *Dill. H. Musc. p.* 456. *tab.* 63. *f.* 10.

Muscus maximus coridis folio, viticulis valde ramosis. *Plum. Fil. p.* 144. *tab.* 165. *f. A.*

Muscus zeylanicus terrestris clavatus erectus. *Moris. H.* 3. *p.* 624. *s.* 15. *tab.* 5. *fig.* 6.

Muscus zeylanicus erectus perpetuo virens in arboris proceritatem excrescens, *Pluken: Alm. p.* 247. *tab.* 47. *fig.* 9.

Muscus clavatus erectus crispatis foliis. *Pluk. Alm.* 149. *t.* 431. *f.* 3.

Bellan-patsja. Rheed. Hort. malab. XII. *pag.* 73. *tab.* 39.

Caulis tripedalis, erectus, firmus, ramosissimus, basi saepe stoloniferus. *Folia* lineari-acuminata, integerrima, incurvata, decurrentia, glabra. *Spicae* cernuae, quadrilineares, ex ovato oblongae, cylindraceae, solitariae et sessiles in apicibus ramulorum. *Squamae* ovatae, cuspidatae, imbricatae, margine membranaceae, serrato-ciliatae. *Capsulae* subrotundo-obsolete triquetrae, bivalves, pallidissimae; valvulis inaequalibus.

Frequentissimum in montibus *Estrellae*, et fere semper cum duabus sequentibus speciebus, ubi non raro ad tres vel quatuor pedes crescit.

LYCOPODIUM *piliferum*: caule repente, ramis erectis, foliis sparsis incurvato-setigeris, pedunculis polystachyis longissimis, squamis ovatis cuspidato-acuminatis eroso-denticulatis, capsulis reniformibus. *tab.* 3.

Lycop. (*aristatum*) caule adscendente, foliis sparsis uninerviis incurvato-setigeris, spicis subquaternis cylindricis pedunculatis, squamis ovatis cuspidato-acuminatis eroso-denticulatis. *Willd. Sp pl. V. p.* 17. *n.* 15.-*Syn. Fil. brasil. n.* 1.-*Humb. et Bompl. N. Gen. I. p.* 31. *n.* 1.

Differt a *Lycopodio clavato* magnitudine, et numero spicarum; quamobrem hoc aeque ac *Lycopodium inflexum* Swartzianum habenda essent ut duae varietates nostri *piliferi*. Huius caulis humi serpens ad longitudinem saepe sex pedum circiter crescit. Ex ipso verticaliter emergunt rami dichotomi, pedem circiter alti, quorum quidam pedunculo 4-5-pollicari, plus minus ramoso terminantur, quod tot spicas cylindricas bipollicares sustinet, quot sunt eius divisiones, quae ultra sex non solent esse.

LYCOPODIUM *thyoides*: caule erecto, ramis alternis dichotomis, foliis bifariis connatis adpressis, superficialibus solitariis, pedunculis dichotomis tetra-vel hexastachyis, spicis cylindricis subtetragonis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 18. *n.* 16.-*Syn. Fil. brasil. n.* 2.

L. caule erecto dichotomo, ramisque compressis; foliis distichis, basi connatis, acuminato-pungentibus, patulis, superficialibus utrinque uniseriatis, adpressis; pedunculis dichotomis, suboctostachyis; spicis cylindraceo-tetragonis; squamis subrotundis, acuminatis, apice patulis. *Humb. et Bompl N. Gen. I. p.* 31. *n.* 2.

Lycopodium altissimum spicis bigemellis quadrangulis. *Dill. Hist. Musc. p.* 449. *tab.* 60. *f.* 4.

Muscus squamosus sive Lycopodium altissimum. *Plum. Filic. p.* 144. *tab.* 165. *f. B.*

Caulis repens longissimus, ramis erectis subpedalibus, ramulisque alternis fasciculato dichotomis, compressis. *Folia* bifaria, basi connata, apice libera s. patula, acuminata: *superficialia* utrinque uniseriata adpressa, lineari-lanceolata, acuminata vel acuminato-subulata, superiora approximata vel subimbricata, inferiora remotiuscula et paullo minora.

+ + Capsulis biformibus, aliis reniformibus, aliis subrotundis, subtricoccis, in eadem spica (*Stachygynandrum* et *Diplostachyum* Pal. Beauv.)

LYCOPODIUM *rupestre*: caule repente ramoso, ramis erectis adscendentibus, radicibus axillaribus, foliis sparsis imbricatis lineari-lanceolatis serrulatis acuminatis, spicis terminalibus sessilibus. *tab.* 4. *bis. fig* 2.

L. caule repente ramoso, ramis subdivisis adscendentibus, foliis sparsis imbricatis lineari-lanceolatis ciliatis apice piliferis, spicis solitariis sessilibus, terminalibus. *Willd. Sp. pl. V. p.* 30. *n.* 35.-*Syn. Fil. brasil. n.* 3.-*Schk. crypt. p.* 165. *t.* 165?

L. foliis sparsis filamentosis spicis terminalibus tetragonis. *Linn. Sp. pl. p.* 1564.

L. foliis sparsis filamentosis, caule repente, spicis tetragonis sessilibus. *Sw. Syn. Fil. p.* 181.

L. spica sessili tetragona, squamis carinatis mucronatis. *Linn. Amoen. Acad. II. p.* 337.

L. caule ramoso, repente; foliis dense imbricatis, lanceolato-linearibus, acuminato-subulatis, serrulatis; spicis terminalibus, sessilibus tetragonis. *Humb. et Bompl. N. Gen. I. p.* 32. *n.* 8.

L. pusillum hypniforme repens, foliis confertim incumbentibus subulatis ciliatis, spicis sessiliter terminalibus tetragono-prismaticis. *Mich. Fl. Amer. bor.* 2. 284.

Lichen rupestre pilosum et incanum, spicis acute quadrangulis. *Dill. Musc. p.* 457. *tab.* 63. *fig.* 11. (optima).

Muscus rupestris repens virginianus, clavis foliolis erectis quadratis. *Pluken. Alm.* 248. *t.* 100. *fig.* 2.-*Moris. H.* 3. *p.* 624. *s.* 15. *t.* 5. *f.* 4.

Exemplaria a nobis lecta in rupibus prope *Rio-Janeiro* habent folia et bracteas acumine terminatas primum albido, postea subrufo; eorum margines serrulati aut denticulati, nec ciliati, et Capsulae uniformes, subtricoccae. *an distincta species?*

LYCOPODIUM *stoloniferum*: foliis bifariis distinctis oblongis integerrimis vel levissime denticulatis, superficialibus ovatis adpressis aristato-mucronatis, caule ramoso, axillis stoloniferis, spicis brevissimis sessilibus. *tab.* 2.

L. foliis bifariis distinctis ovatis denticulatis, superficialibus distichis imbricatis oblongo-falcatis aristato-mucronatis, caule ramoso tetragono repente, spicis brevissimis sessilibus. *Willd. Sp. pl. V. p.* 40. *n.* 57.-*Syn. Fil. brasil. n.* 6.

L. foliis bifariis patentibus obsolete denticulatis, superficialibus oblongis apiculatis, surculis tetraquetris ramosissimis sarmentosis inferne subnudis, axillis stoloniferis, spicis brevissimis, capsulis baseos monospermis. *Sw. Syn. Fil p.* 182. *Fl. ind. occ.* 3. *p.* 1576.

Lycopodioides dentatum dichotomum rigidum minus. *Dill. H. Musc. p.* 470: *tab.* 67. *fig.* 10.

Muscus squamosus repens. *Plum. Fil. tab.* 43. *f. B.*

Caulis huius elegantissimae speciei est inferne simplex seu indivisus et aliquantulum humi stratus, superne alternatim distiche ramosissimus, subdichotomus; ex axillis ramorum radiculae vel stolones filiformes, longissimi, nudi, reflexi, ad extremitatem ramosi emergunt, per quos humo vel proximis plantis adhaeret; ramulis densa lanugine fusca contectis. *Folia* plana, disticha, approximata, oblonga, oblique subcordata, integerrima aut levissime denticulata, supra saturate viridia, subtus pallidiora et minutissime rugosa ut in sequenti: *Folia superficialia* adpressa, ovata vel subrotundo-ovata, convexa, margine leviter denticulata, arista longa pallida terminata. *Spicae* terminales, solitariae, rarissime geminatae, 5-9-lineares, tetragonae, et, ut in duobus sequentibus speciebus, habentes duas diversas species capsularum, idest: quae sunt ad basim subrotundas, bivalves, valvulis subtrilobis, et continentes tres globulos sphaericos et reticulatos in superficie, quos *P. Beauvois* habet pro organo femineo plantarum, quae hanc familiam constituunt; quosque D. *Desvaux* opinatur esse speciem gemmarum et appellat *propagula*; ceteras, pariter bivalves (*antheras* Lin. et aliorum) cordato-reniformes, et repletas minutissimis granis aurantiacis, quae D. *Desvaux* habet pro totidem gemmis minoris dimensionis, D. *P. Beauvois* pro organo masculino, et DD. *Kolreuter, Lindsey, Fox, Willdenow* etc. pro veris seminibus. *Squamae* ovatae, carinatae, apice subulatae, et, ut folia, modo integrae, modo minutissimis denticulis in marginibus notatae.

Invenitur copiose in sylvis montis *Corcovado*. Ex illis, quae ibi legi, specimina quaedam observavi, quorum folia in marginibus habebant denticulos productos, qui in totidem ciliorum formam mutabantur, et spicae ad medium steriles, paucas capsulas gerebant dumtaxat ad basim, quae magnitudinem capsularum ceterorum speciminum duplo superabant.

LYCOPODIUM *marginatum*: foliis bifariis distinctis oblongis ciliatis vel ciliato-dentatis, superficialibus ovato-falcatis imbricatis acuminatis adpressis albido-marginatis ciliatis, caule repente ramoso, spicis brevissimis sessilibus. *tab.* 1. *fig.* 2.

L. foliis bifariis distinctis oblongis subintegerrimis basi ciliato-dentatis, superficialibus distichis imbricatis ovato-falcatis cuspidatis albo-marginatis ciliatis, caule repente ramis erectiusculis ramosis. *Willd. Sp. pl. V. p.* 41. *n.* 58.-*Syn. Fil. brasil. num.* 7.

L. caule repente; ramis erectis ramosis, foliis distichis, oblongo-ovatis, acutis, integerrimis, margine superiore basin versus ciliatis, superficialibus utrinque uniseriatis, ovato-falcatis, acuminatis, denticulatis, ubique ciliatis, adpressis. *Humb. et Bompl. N. Gen. I. p.* 31. *n.* 4.

Caules semipedales, breviter ramosi, adhaerentes humo per radices vel stolones tenuissimos ad extremitatem ramosiusculos, ab axillis ramorum ramulorumque provenientes. *Rami* subdichotomi apice ascendentes. *Folia* disticha approximata, oblonga, oblique cordata, obtusiuscula, superne laete viridia, inferne albida et minutissime rugosa: differunt in margine, cum sint modo prorsus ciliata, modo margine tantum superiori. *Folia superficialia* alterne imbricata, adpressa, ovato-falcata, acuminata, albido-marginata, ciliata. *Spicae* solitariae, terminales, sessiles, 3-6-lineares, quadrangulares. *Squamae* ovato-lanceolatae, acuminatae, carinatae, margine denticulatae, basi saepe ciliatae; carina hispida. *Capsulae* ut in praecedenti specie.

Frequentissimum in tota Provincia *Rio de Janeiro*, ubi semper invenitur in umbrosis, et humidis locis.

LYCOPODIUM *brasiliense*: foliis bifariis semicordatis, superficialibusque pallide marginatis denticulatis, caulibus dichotomis repentibus radicantibus, spicis terminalibus sessilibus plerumque solitariis. *tab.* 1. *fig.* 1.

Caules 3-5-pollicares, subcaespitosi, dichotomi ex axillis radiculas capillares ad extremitatem divisas vel ramosiusculas emittentes. *Folia* disticha, semicordata, obtusiuscula, pallidissime marginata, denticulata, saepe ad basim paullo ciliata; *superficialia* ovato-oblonga, acuminata, alterna, pallide marginata, denticulata, adpressa. *Spicae* terminales, plerumque solitariae, sessiles, fere semipollicares, *Squamae* ovato-lan-

ceolatae, acuminatae, carinatae, àlbido-marginatae, denticulatae. *Capsulae* ut in praecedenti.

Communissima est haec species in tota Provincia *Rio de Janeiro*, ubi vero semper invenitur in locis montosis et opacissimis. Est idem quod a me relatum fuit in mea *Synopsi Filicum* sub nomine *Lycopodium apodum*, ad quod nullo modo pertinere potest.

ACRO

ADIAN

ANEM

ASPID

INDEX

GENERUM ET SPECIERUM IN HOC VOLUMINE DESCRIPTARUM.

Fig. 1. *L*

2. *L*

3. *S*

4. *S*

5. *S*

L

L

EXSPLICATIO TABULARUM

IN HOC VOLUMINE CONTENTARUM.

Tab. 1.

Fig. 1. *Lycopodium brasiliense* in sua naturali magnitudine.
a. Apex ramuli fructiferi auctus.
2. *Lycopodium marginatum*, nat. magn.
a. Apex ramuli fructiferi auctus.
3. *Salvinia Azolla*, in sua naturali magnitudine.
a. Ramulus eiusdem auctus, superne inspectus, habens unum ex loculis vel sacculis, quibus continentur organa fructificationis.
b. Portio eiusdem ramuli inferne inspecti.
4. *Salvinia biloba*, nat. magnit.
a. Folium superne inspectum
b. Idem ab inferiori latere inspectum.
5. *Salvinia rotundifolia*, nat. magn.

Tab. 2.

Lycopodium stoloniferum, nat. magn.
a. Apex ramuli fructiferi auctus.
b. Capsula a P. Beauvois habita pro organo masculino, sub lente vitrea aucta.
c. Alia capsula pariter aucta continens tria corpuscula subrotunda et reticulata quae Beauv. habet pro organo femineo.
d. Corpusculum magis auctum.

Tab. 3.

Lycopodium piliferum. 1. pars surculi redacta ad tertium suae naturalis magnitudinis. 2. Ramus eiusdem nat. magnitudinis. 3. Folium auctum. 4. Squama vel bractea aucta. 5. Capsula aucta.

23.

TAB. 4.

Lycopodium mandiocanum, n. m.
a. Folium auctum, inferius visum.
b. Idem superius visum.
c. Capsula aucta.

TAB. 4. *bis.*

1. *Lycopodium filiforme*, n. m.
a. Folium auctum.
b. Capsula aucta.
c. Planta juvenis, n. m.
2. *Lycopodium rupestre*, n. m.
a. Apex ramuli fructiferi auctus.
b. Bractea aucta, cum capsula.
c. Folium auctum.

TAB. 5.

1. *Danaea geniculata* redacta ad tertium suae naturalis magnitudinis.
a. Pinna frondis sterilis in sua naturali magnitudine.
b. Pinna frondis fertilis, nat. magnit.
c. Particula ejusdem magis aucta, cum capsulis.
Una ex pinnis sterilibus *Danaeae paleaceae*, n. m.

TAB. 6.

Mertensia emarginata. a. redacta ad tertium suae naturalis magnitudinis. *b.* una ex suis frondibus exhibita in sua naturali magnitudine. *c.* Pinna inferius visa cum soris, aucta *d.* eadem superius visa.

TAB. 7.

Mertensia decurrens. a. redacta ad tertium suae nat. magnitudinis. *b.* una ex suis frondibus exhibita in sua naturali magnitudine. *c.* Pinna inferius visa cum soris, aucta. *d.* eadem superius visa.

TAB. 8.

Anemia longifolia, n. m.

TAB. 8. *bis*.

Anemia fraxinifolia, n. m.

TAB. 9.

1. *Anemia mandioccana*, n. m.
2. *Anemia repens*. *a*. minor, *b*. major. n. m.

TAB. 10.

Anemia radicans. n. m.

TAB. 11.

Anemia radicans β. n. m.

TAB. 12.

1. *Anemia collina* n. m., 2. una ex suis pinnis aucta.

TAB. 13.

1. *Anemia flexuosa*, n. m. 2. una ex suis pinnulis aucta.

TAB. 14.

Olfersia corcovadensis.
1. Frons sterilis, nat. magnit.
2. Frons fertilis, n. m.
3. ejusdem pinna aucta.

TAB. 15.

1. Una ex pinnis fertilibus *Olfersiae corcovadensis* exhibita ad tab. 14, in qua utrumque latus ipsius pinnae conspicitur, sub lente vitrea aucta.

2. *Acrostichum spathulinum* nat. magn.
3. ——— *strictum* n. m.
4. ——— *Lingua* n. m.

TAB. 16.

Acrostichum scolopendrifolium, n. m.

TAB. 17.

Acrostichum heterophyllum, n. m.

TAB. 18.

Acrostichum scandens, n. m.

TAB. 19.

Hemionitis tomentosa, n. m.

TAB. 20.

Portio frondis *Meniscii palustris*, n. m.

TAB. 21.

1. *Ceterach aspidioides* nat. magn.
   a. una ex suis pinnis subtus visa, et aucta.
2. *Polypodium pleopeltifolium.* n. m.
   a. una ex squamis quae sparsae inspiciuntur super frondis laminam, aucta.
   b. alia squama costae dictae frondis, aucta.

TAB. 22.

Ceterach polypodioides, nat. magn.
a. Lacinia ex parte sororum visa, aucta.

TAB. 22. *bis*.

1. *Grammitis punctata*, nat. magn.
   a. Pars frondis aucta, et soros exhibens etiamnum juvenes, qui ob aetatem simul confunduntur, et specie unum efficiunt.
2. *Grammitis serrulata*, n. m.
   a. Frons aucta, et inferius visa.
3. *Grammitis myosuroides*, n. m.
   a. una ex suis frondibus subtus visa, et aucta.
4. *Asplenium lassum*, n. m.

TAB. 23.

1. *Polypodium aurisetum*, n. m.
   a. Pinna fertilis, aucta
   b. Squama caudicis aucta.
   c. Squama frondis, aucta.
2. *a*. et *b*. *Polypodium vacciniifolium*, n. m.

TAB. 24.

1. *Polypodium percussum*, n. m.
2. ——— *angustifolium*, n. m.
3. ——— *lapathifolium*, n. m.

TAB. 25.

Frons cum parte caudicis *Polypodii coriacei*, totum redactum ad tertium suae naturalis magnitudinis.
a. Portio ipsius frondis exhibita in sua naturali magnitudine.

TAB. 26.

Polypodium hirsutissimum, n. m.
a. Squama caudicis, aucta.
b. Squama rachis, aucta.
c. Squamula superioris partis frondis, aucta.

TAB. 27.

1. *Polypodium Plumula*, n. m.
2. *Polypodium Schkuhri*, n. m.
   a. Lacinia, s. pinna inferius visa cum soris, aucta.

TAB. 28.

Polypodium laetum, n. m. *a.* superius, *b.* inferius visum.

TAB. 29.

1. *Polypodium glaucum*, n. m.
2. ——— *hirsutulum*, n. m.

TAB. 30.

Polypodium albo-punctatum, redactum ad dimidium suae naturalis magnitudinis.
   a. Una ex suis pinnis exhibita in sua naturali magnitudine, superius visa.
   b. eadem inferius visa, cum soris.

TAB. 31.

Polypodium distans, n. m.

TAB. 31. *bis*.

Polypodium neriifolium β. (Polypodium meniscifolium *Langsd. et Fisch. icon.* 12? redactum ad dimidium suae naturalis magnitudinis.
   a. Una ex suis pinnis exhibita in sua naturali magnitudine, inferius visa, cum soris.

TAB. 32.

Polypodium viviparum, m. n. *a.* inferius, *b.* superius visum.

TAB. 33.

1. *Polypodium decurrens*, redactum ad dimidium suae nat. magnit.; 2. Una ex suis pinnis exhibita in sua nat. magn., inferius visa, cum soris.

TAB. 34.

Polypodium pubescens, n. m.
a. Particula laciniae cum soris, aucta.

TAB. 35.

Polypodium rivulorum, n. m.
a. exhibet superiorem frondis partem,
b. eiusdem inferiorem partem,
c. portionem laciniae suarum pinnarum, auctam, et ex latere sororum inspectam.

TAB. 36.

Polypodium vestitum, n. m.
1. Squama caudicis et rachis, aucta.
2. Particula laciniae cum soris, aucta.

TAB. 36. *bis.*

Polypodium falciculatum, redactum ad 3/4 suae nat. magnit.
a. Una ex suis pinnis exhibita in sua naturali magnit., inferius visa, cum soris.
b. Portio laciniae pinnae, aucta.

TAB. 37.

Polypodium tijuccanum, redactum ad tertium suae nat. magn.
a. Una ex suis pinnis exhibita in sua nat. magn., inferius visa, cum soris.
b. Portio laminae pinnae, subtus visa cum soris.
c. Squama caudicis, aucta.

TAB. 38.

Portio frondis *Polypodii formosi*, n. m.

TAB. 39.

Portio frondis *Polypodii caudati*, n. m.

TAB. 40.

Portio frondis *Polypodii corcovadensis*, n. m.

a. Particula pinnulae cum soro, qua exhibentur duae capsulae, quarum una in situ, et altera paulum avulsa ab eodem soro, et a pilis quibus adhaerebat, aucta.

TAB. 41.

Una ex pinnis primariis *Polyp. axillaris* redacta ad $^3/_4$ suae naturalis magnitudinis, superius visa.

a. Portio stipitis in sua naturali magnitudine.

b. Pinnula exhibita in sua naturali magnitudine, subtus visa, cum soris.

c. Una ex suis laciniis, aucta.

TAB. 42.

Frons *Polypodii aculeati*, n. m., superius visa.

a. Una ex suis pinnulis, inferius visa.

b. Particula laciniae cum soris, aucta.

TAB. 43.

Portio frondis *Rumohrae aspidioid.* natur. magnit.

1. Pars pinnulae cum soris aucta. *a.* Sorus indusio totus contectus. *b.* idem cum indusio partim avulso. *c.* Sorus nudus. *d.* idem in quo capsulae deciderunt, exhibens pilos vel pediculos, quibus ipsae adhaerent.
2. Indusium auctum, et superius inspectum.
3. Idem inferius inspectum.
4. Columella, seu potius fasciculus capsularum in centro situs cuiusque sori, lente vitrea aucti.
5. Capsula, et Semina, aucta.

TAB. 44.

a. Apex s. portio frondis *Aspidii paludosi*, n. m. *b.* Particula pinnae cum soris, aucta. *c.* Indusium magis auctum. *d.* Portio stipitis aucti, et anterius visi.

TAB. 45.

Aspidium pendulum, n. m. *a. a.* superius, *b.* inferius visum. *c.* Particula pinnae cum soro, aucta.

TAB. 46.

Aspidium exaltatum, n. m. *a. a.* superius, *b.* inferius visum. *c.* Pars pinnae cum soris aucta. *d.* Indusium magis auctum.

TAB. 47.

Aspidium falciculatum n. m., *a.* inferius, *b.* superius visum. *c.* Portio laciniae cum soris aucta. *d.* Indusium magis auctum. *e.* Portio stipitis aucta.

TAB. 48.

Portio frondis *Aspidii patentis*, n. m.
a. Particula laciniae pinnae cum soris aucta.

TAB. 49.

Portio frondis et caudicis *Aspidii scandentis*, n. m.
a. Squama vel Palea caudicis, aucta.

TAB. 50.

Asplenium salicifolium, n. m.

TAB. 51.

1. *Asplenium brasiliense*, n. m.
2. ——— *adiantoides*, n. m., *a.* Pinnula cum soris, aucta.

TAB. 52.

1. *Asplenium semicordatum*, n. m.
2. ——— *pulchellum*, n. m.

TAB. 53.

Asplenium Nidus redactum ad dimidium suae naturalis magnitudinis. *a.* superius, *b.* inferius visum.

TAB. 54.

Portio frondis adultis *Asplenii ambigui*, n. m.

TAB. 54. *bis.*

Asplenium ambiguum. jun., n. m.

TAB. 55.

Asplenium pseudo-nitidum, n. m.

TAB. 56.

Asplenium rachirhizon, n. m.
a. Pinnulae 3. cum soris, auctae.

TAB. 57.

1. *Scolopendrium ambiguum*, n. m.
   a. Particula laminae frondis aucta, ubi inspiciuntur duo sori eo modo quo interdum inveniuntur, scilicet aliquantum inter se disjuncti; quod dubiam reddit genericam denominationem hujus filicis.
2. *Diplazium acuminatum*, n. m.
   a. Particula laminae frondis, aucta.

TAB. 58.

Una ex pinnis inferioribus frondis *Diplazii ambigui*, exhibita in sua naturali magnitudine: *a.* superius, *b.* inferius visa. *c.* Portio pinnulae aucta,

ubi idem quod in *Scolopendrio ambiguo*, licet rarius, observatur; scilicet, duobus soris aliquantum inter se disjunctis, et non geminatis.

TAB. 59.

1. Portio frondis *Diplazii pulcherrimi*, n. m.
2. Pinnula cum soris, aucta: *a.* Sorus indusio totus contectus, *b.* sorus cum capsulis partim detectis ex membrana s. indusio contracto.

TAB. 60.

1. *Blechnum ceteraccinum*, n. m.
2. ——— *polypodioides*, n. m.
3. ——— *lanceolatum*, n. m.

TAB. 61.

Blechnum corcovadense redactum ad tertium suae naturalis magnitudinis, superius visum.

TAB. 61. *bis.*

Portio frondis *Blechni corcovadensis*, inferius visa, et exhibita in sua naturali magnitudine.

TAB. 62.

Blechnum stagninum, n. m.

TAB. 63.

1. *Pteris sagittifolia*, n. m.
2. ——— *hastata*, n. m.

TAB. 64.

1. 2. *Pteris varians*, n. m.

TAB. 65.

1. *Pteris collina*, n. m.
   2. Pars stipitis aucta, anterius visa.
3. *Pteris pedata* (γ), n. m.

TAB. 66.

Pteris pedata (α), n. m.

TAB. 66. *bis.*

Pteris pedata (β), n. m.

TAB. 67.

1. *Pteris geraniifolia*, n. m.
   2. Pars stipitis aucta, et anterius visa.

TAB. 68.

Planta juvenis *Pteridis brasiliensis*, n. m.
a. Frons sterilis, *b* Frons fertilis.

TAB. 68. *bis.*

Portio frondis adultae *Pteridis brasiliensis*, n. m.

TAB. 69.

1. *Pteris tristicula*, n. m.
   2. Pars stipitis aucta, et anterius visa.

TAB. 69. *bis.*

Portio frondis *Pteridis decurrentis*, n. m.

TAB. 70.

1. *Pteris spinulosa*, n. m.
   2. Pinnula frondis sterilis aucta.

TAB. 70. *bis*.

Pteris spinulosa adultior, n. m. 1. Frons sterilis,
2. Una ex pinnis frondis fertilis, n. m.

TAB. 71.

Ramus lateralis frondis fertilis *Pteridis pallidae*, n. m.

TAB. 71. *bis*.

Pteris Sloani, nat. magnit.

TAB. 72.

Frons sterilis *Lomariae brasiliensis*, redacta ad tertium suae naturalis magnitudinis.
a. Una ex suis pinnis exhibita in sua naturali magnitudine.

TAB. 72. *bis*.

Frons fertilis *Lomariae brasil.*, redacta ad tertium suae nat. magnit.
a. Una ex suis pinnis exhibita in sua nat. magn.

TAB. 73.

Lomaria fraxinifolia, n. m.

TAB. 74.

Lindsaea quadrangularis, n. m.
a. Pinna cum pinnulis soriferis, inferius visa.

TAB. 75.

1. *Lindsaea javitensis*, n. m.
2. *Cheilanthes brasiliensis*, n. m.
a. Pinnula cum soris aucta.

TAB. 76.

Portio frondis *Adianti brasiliensis*, n. m.

TAB. 77.

Adiantum fovearum, n. m.

TAB. 78.

1. Portio frondis *Adianti truncati*, n. m.
2. Ramulus frondis *Adianti cuneati*: *a.* in sua naturali magnitudine, *b.* sub lente vitrea auctus.

TAB. 79.

1. *Trichomanes pilosum*, n. m.
   a. Una ex suis pinnis cum soris, aucta.
2. *Trichomanes mandioccanum*, n. m.
   a. Pinnula cum soro, aucta.
3. *Hymenophyllum hirsutum*, n. m.
   a. Pinnula cum soro, aucta.
   b. Unus ex pilis stipitis pinnularumque auctus.
4. *Hymenophyllum Boryanum*, n. m.
   a. Portio pinnulae auctae, cum soro.
   b. Unus ex pilis stellatis stipitis pinnularumque, auctus.

TAB. 80.

Hymenophyllum rupestre, n. m.

TAB. 81.

Hydroglossum volubile, n, m. *a.* Frons sterilis *b.* Frons fertilis.

TAB. 82.

Una ex pinnis frondis *Marattiae fraxineae*, n. m. *a.* superius, *b.* inferius visa.

TAB. 83.

Ramus lateralis frondis juv. *Marattiae alatae* in sua nat. magn., superius visus.

TAB. 84.

Una ex pinnis frondis adul. *Marattiae alatae* in sua nat. magn., inferius visa.

SCIA
EXPI
TORI
ET
XIM
RES
EORU
LUE
FEM
DISS

SCIAS, LECTOR, PLERASQUE HARUM PLANTARUM IMAGINES EXPRESSAS FUISSE A NONNULLIS LITHOGRAPHICAE ARTIS CULTORIBUS, QUI AD HUNC LIBRUM ABSOLVENDUM INGENIUM ET OPERAM LIBERALISSIME CONTULERUNT. ET QUONIAM MAXIMAS QUAS ILLIS HABENT GRATIAS HUIUS OPERIS EDITORES PRO MERITO REFERRE NON POSSUNT, NOMINA SALTEM EORUM GRATA COMMEMORATIONE IPSIS FIGURIS ADJICI VOLUERUNT; INTER QUAE ET ALIQUA INVENIES PRAESTANTIUM FEMINARUM, QUOD QUIDEM TE, CANDIDE LECTOR, JUCUNDISSIMA AFFICIET ADMIRATIONE.


1.
1.
1. a
2
2. a
b
c
3.
4
4 b
4 a
5


d
c
b
a




1.


2.


3.


4.


5.


1.
a
1.
b
c


b
a
c
1
2
c
b
a


a
b
c
1.
2.


d
c
b
a


a
b
c
d

Luisa Cojti

Luisa Bojti

M. Anna Guicciardini

M. Anna Guicciardini


1.
a 2
b 2



Luisa Rudolfi

Luisa Radcliff

Luisa Ridolfi

Luisa Reichelt


1
2


a
b
1.
1.
1.
2
a
b

Luida Ridolfi

Luise Rudolfi


1
2
2
3
4


a
b

Santina Guer

Santina Guerrazzi

Pinx. Guicciardini

Guilia Guicciardini


2. a
3. a


1. a
1.
2. a
2.
4
3. a
3.


2 a
b
1
c b a
1

Luisa Rida


1
2
3
Luisa Ridolfi



Gaetano Gnanardini


a
b
c

Oraži



Orazio Ambra




a
b

Domenico Cantini

a.

b.


a.
b.


Luisa Rido



Luisa Ridolfi


a


a
b


1.
1.
2.

Giulia Ga

Gentra Guicciardini


a
b
c
a


1
2


a
b


c
a
b.

M. Au

M. Auna Aubra


a


a
b
c


a
b


a
b
1.
c
d
2.
3.
4.
5.


a
b
c
d


c
a
a
b


1.
2
d
c
e
a
1.
2
b


a
b
c
d
e


a

Luigi Guicciardini

M. Ar

M. Anna Bojti


a
2.
1.

Piero

Pietro Guicciardini


b
a



Giulia Guicc

Giulio Guicciardini

M. Anna

M. Anna Guicciardini


a

Chiro Guicciardini

Pedro Gue

Petro Guicciardini


b
a
2.
1.

Luisa

Luisa Rudolph

Pteris Guiciardini

Luisa R



Luisa Ridolfi

Luisa Ru

Luise Rudolfi

G. Gu

G. Guicciardini.

F. Guicciardini

Luisa S

Luisa Kirlolfi


2
1

Oratia Ambra


2.
1.

T. 69. bis

M. Anna Ambra

F. Guicciardini


2
1

Pierre Guiscardini

Carolina

Carolina Guerrazzi


a


a


a


a
2.
1.
2.

Carl. Rudolfi


b 2.
a 2
1.


1.a
1.
4.
4.a
4.b
2.
2.a
3.a
3.b
3.


a
b.


a
b